STATUTA DIOECESEOS PITTSBURGENSIS 1920

NON-CIRCULATING
BX1417
.P6
A45x
1919

Duquesne University:

H. A. Carlin.

Pittsburgh. Diocese
III

STATUTA

DIOECESEOS PITTSBURGENSIS

IN SYNODIS DIOECESANIS

LATA,

ET PROUT NUNC PROSTANT

PROMULGATA

IN SYNODO DIOECESANA DECIMA QUARTA

Die 8 Mensis Octobris, A. D. 1919

HABITA,

AB ILL'MO ET REV'MO

REGIS CANEVIN,

EPISCOPO PITTSBURGENSI.

1920

St. Joseph's Protectory Print, Pittsburgh, Pa.

UNIVERSITY LIBRARY PITTSBURGH, PA.

BX 1417
.P6
A4 Sx
1919
cop. 4



282.748
P692
1920
Cop. 2
Archives

Imprimatur:

✠ REGIS CANEVIN,

Episcopus Pittsburgensis.

Pittsburgi die 18. Januarii 1920.

UNIVERSITY LIBRARY PITTSBURGH PA

INDEX.

Pagina

Indictio 7
Officiales Synodi 8
De Patrona 9
De Promulgatione 9
De Revocatione Constitutionum 10

Caput I. De Clericis in Genere.

Tit. I. De Vita et Honestate Clericorum 13
Tit. II. De Conferentiis 16
Tit. III. De Salario Parochi et Vicarii Cooperatoris 16
Tit. IV. De Examine Juniorum Sacerdotum 17

Caput II. De Clericis in Specie

Tit. I. De Curia Dioecesana 18
Tit. II. De Cancellario 19
Tit. III. De Examinatoribus et Judicibus Synodalibus et de Parochis Consultoribus 19
Tit. IV. De Consultoribus Dioecesanis 20
Tit. V. De Vicariis Foraneis 21
Tit. VI. De Parochis 22
Tit. VII. De Vicariis Cooperatoribus 26

Caput III. De Religiosis

Caput IV. De Laicis

Tit. I. De Societatibus 27

Caput V. De Sacramentis

Tit. I. De Sacramentis in Genere 30
Tit. II. De Baptismo 30
Tit. III. De Confirmatione 32
Tit. IV. De SS. Eucharistia et De Sacrosancto Missæ Sacrificio 33
Tit. V. De Missarum Stipendiis 35
Tit. VI. De Sacra Communione 36
Tit. VII. De Poenitentia 37
Tit. VIII. De Confessione Religiosarum 38
Tit. IX. De Peccatis et Censuris Reservatis 39
Tit. X. De Absolutione Censurarum ab Ordinario Reservatarum 40
Tit. XI. De Absolutione Aliarum Censurarum 40
Tit. XII. De Indulgentiis 42
Tit. XIII. De Extrema Unctione 42

AUG 12 1966

Tit. XIV. De Ordine 42
Tit. XV. De Matrimonio 43
Tit. XVI. De Impedimentis Dirimentibus 45
Tit. XVII. De Forma Celebrationis Matrimonii 46

Caput VI. De Sacramentalibus

Caput VII. De Locis et Temporibus Sacris

Tit. I. De Sepultura 50

Caput VIII. De Cultu Divino

Tit. I. De Musica Sacra 52
Tit. II. De Custodia SS. Eucharistiæ 52
Tit. III. De Expositione SS. Sacramenti 53
Tit. IV. De Processionibus 54

Caput IX. De Magisterio Ecclesiastico

Tit. I. De Catechetica Institutione 55
Tit. II. De Sacris Concionibus 56
Tit. III. De Sacris Missionibus 57
Tit. IV. De Seminaristis 57
Tit. V. De Scholis 58
Tit. VI. De Professione Fidei 60

Caput X. De Bonis Ecclesiae

Tit. I. De Bonis Ecclesiæ Administrandis 61
Tit. II. De Aedituis seu Administratoribus Paroeciæ 63
Tit. III. De Modis Prohibitis Pecuniam Colligendi 66

Caput XI. De Curia

Tit. I. De Officiali seu Judice 67
Tit. II. De Judicibus Synodalibus 67
Tit. III. De Auditoribus 68
Tit. IV. De Promotore Justitæ et De Defensore Vinculi 68

Caput XII. De Modo Procedendi in Processibus

Tit. I. De Modo Procedendi in Remotione Parochorum Inamovibilium. 68
Tit. II. De Remotione Parochorum Amovibilium 69
Tit. III. De Translatione Parochorum 69

APPENDIX

De Ritibus 71
Circa Fideles Græco-Ruthenos 71
Forma Brevior Baptismi Adultorum 72
Circa Baptismum 72
Circa SS. Eucharistiam 73
Circa Sacrificium Missæ 74
Circa Vesperas 76
Circa Assistentiam Erga Moribundos 76
Circa Matrimonium 77

De Postulatione Dispensationum
Pro Impedimentis Publicis 77
Ordo Inquisitionis Faciendæ Circa Impedimenta Publica..... 77
Formulæ ad Postulandas Dispensationes..... 78
De Fulminatione Dispensationis in Impedimentis Publicis..... 79
Dispensatio in Impedimentis Occultis..... 79
De Fulminatione Dispensationis in Impedimentis Occultis..... 80
Forma Fulminationis in Foro Interno..... 80
Ritus Absolvendi Excommunicatos in Foro Externo..... 80
De Causis Matrimonialibus 81
Church Committees..... 82
Building Committee..... 84
Form for Deed of Church Property..... 84
De Inquisitione Facienda in Casu Amotionis vel Translationis Parochi.. 85
Act of Consecration to the Sacred Heart of Jesus..... 85
Notanda..... 86
Forms for Dispensations and Permissions..... 87
Form of Annual Report..... 89
Irremovable Pastorates..... 93
Index Alphabeticus..... 95


Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Lyrasis Members and Sloan Foundation

http://www.archive.org/details/statutadioeceseo00regi

INDICTIO SYNODI.

Ill'mus et Rev'mus D. Regis Canevin, D. D., Episcopus Dioeceseos Pittsburgensis ad majorem Dei gloriam et ecclesiae bonum, necnon in obsequium sacrorum canonum, synodum decimam quartam convocare in Domino judicavit; eamque die 8a Septembris festo Nativitatis B. M. V. Anno Salutis 1919 per litteras directas ad universum hujus Dioeceseos clerum, qui juxta Tridentinum, vel de jure, vel de consuetudine interesse debet, sequenti decreto indixit:

REGIS CANEVIN,

Divina Miseratione et Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Pittsburgensis.

Dilecto et Venerabili Clero tam Saeculari quam Regulari, Salutem et Benedictionem in Domino:—

Ad majorem Dei Omnipotentis gloriam promovendam, ad ecclesiasticam disciplinam fovendam et ad Constitutionum, quae vel in prioribus hujus dioeceseos Synodis sancitae vel a Pontifice Maximo Benedicto XV., emissae fuerunt, exactiorem urgendam executionem, nec non ad Officiales pro recto dioeceseos regimine juxta tramitem legis constituendos, praehabito Consultorum Nostrorum consilio, hisce literis indicimus ac convocamus decimam quartam Synodum dioecesanam in Ecclesia Cathedrali, hora octava cum dimidia—8:30 a. m.—antemeridiana, die octava (8) mensis Octobris anni, currentis inchoandam et eadem die, unica sessione concludendam.

Hortamur autem, et, prout opus est. praecipimus ac mandamus sub poenis per Sacros Canones injunctis, ut omnes, qui de jure vel de consuetudine, indictae interesse debent Synodo, tempore et loco statutis, conveniant. Qui autem, legitima causa impediti, Synodo adesse nequeunt, Judices Excusationum de ratione impedimenti certiores faciant.

Ut vero omnia dirigantur, inspirentur et compleantur a Patre luminum, ordinamus, ut in sacro sancto Missae

sacrificio collecta de Spiritu Sancto post acceptam hanc Synodi indictionem addatur.

Datum ex aedibus Nostris, Pittsburgi, Festo Nativitatis B. M. V., A. D. 1919.

✠ REGIS CANEVIN,
Episcopus Pittsburgensis.

De mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Episcopi.

JOSEPH SUHR,
Synodi Secretarius.

OFFICIALES SYNODI

Promotor: Reverendissimus S. Walsh, V. G.
Promotores Foranei: Reverendissimus M. Ryan, V. F.
Adm. Reverendus M. A. Lambing, V. F.
Secretarius: Reverendissimus J. Suhr, V. G.
Secretarii Assistentes: Reverendus Gul. J. McMullen.
Reverendus M. P. Boyle.
Notarius: Reverendissimus H. J. Goebel.
Magistri Caeremoniarum: Reverendus H. C. Boyle.
Reverendus A. Burns.
Reverendus J. Greiner.
Judices Excusationum et Quaerelarum:
Reverendissimus F. Keane, V. F.
Reverendissimus J. Gorzynski, V. F.
Reverendus E. M. McKeever.
Reverendus J. Wernert, C. SS. R.
Reverendus D. J. Malady.
Adm. Reverendus Thomas Devlin, V. F.
Cantores: Reverendi F. J. Huber, T. Bryson, C. A. Sanderbeck, R. V. Conway, J. F. R. Corcoran, George Bullion, G. C. Fromme, A. C. Angel, J. R. Cox, et al.

OFFICIALES PRO CONVENTIBUS PRAEPARATORIIS

Reverendissimi J. Suhr, S. Walsh, C. A. McDermott, F. Keane, Martinus Ryan, H. J. Goebel, J. Gorzynski, G. Kittell, Aurelius Stehle, O. S. B., Admodum Reverendi M. A. Lambing, T. Devlin, J. T. Burns, P. Krupper, O. M. Cap.,

M. A. Hehir, C. S. Sp., M. Mayou, C. P., A. Dressel, O. C. C., J. Wernert, C. SS. R., S. Rosati, O. F. M., R. Marinus, O. S. B., E. P. Griffin, M. F. Mueller, P. K. Collins, N. P. McNellis, P. J. Hawe, G. Fries, Reverendi F. Beneventano, T. Bryson, C. Gasparik, J. Greiner, G. J. McMullen, M. P. Boyle, C. Fallon, J. Vrhunec, C. H. Demorest.

Officiales pro Conventibus praeparatoriis in aula Synodali (125 N. Craig Street, Pittsburgh, Pa.) hora secunda p. m., die tertia mensis Septembris convenient.

✠ REGIS CANEVIN,
Episcopus Pittsburgensis.

Nos,

REGIS CANEVIN,

Dei Miseratione et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Pittsburgensis.

Vestigiis Illustrissimi ac Reverendissimi Michaelis O'Connor, Episcopi primi Pittsburgensis, fel. mem., inhaerentes, quae de Patrona harum provinciarum sequenti constitutione prima in Synodo sancita sunt, approbamus et confirmamus:

"Beatam Virginem Mariam peculiari devotione in hac dioecesi colendam cupimus, cumque haec Virgo Immaculata absque labe concepta in Patronam principalem harum provinciarum hujusque dioeceseos selecta sit, volumus ut dies festus Immaculatae Conceptionis peculiari cultu in omnibus dioceseos ecclesiis celebretur, et ut fideles excitentur ad sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae frequentanda et ad lucrandas indulgentias illo die a Sede Apostolica concessas."

1. Decreta Conciliorum et Canones Codicis, tam ad cautelam, quam ad solemnitatem, ecclesiasticam legem sequentes, iterum solemniter promulgamus, eaque in Dioecesi Nostra ab omnibus ad quos pertinent stricte sancteque observanda esse declaramus.

2. Quo melius vero haec decreta et canones necnon hujus Synodi statuta observentur, volumus ut sacerdotes Nostri, ea frequenti studio pervolvant. Ad majorem autem

observantiam tam canonum codicis quam statutorum Synodalium Dioeceseos Nostrae, decernimus, ut ea discussionibus quae de more in collationibus ecclesiasticis habentur, subjiciantur, ab alumnis in seminario addiscantur et partem materiae pro annuo examine juniorum Sacerdotum constituant.

3. Constitutiones dioecesanas quascunque hos libello haud contentas omnino revocamus et nullas declaramus.

Nota. Episcopus in Dioecesi sua potestate leges ferendi pro omnibus dioecesanis non exemptis pollet. Verae legis perpetuitatem procul dubio habent Constitutiones ab Episcopo in Synodo promulgatae, et Statuta extra Synodum, facta et promulgata. Can 335 et 362.

ACTA

DECIMAE QUARTAE SYNODI DIOECESEOS PITTSBURGENSIS

Per litteras, festo Nativitatis B. M. V., A. D. 1919 datas, Ill'mus et Rev'mus D. Regis Canevin, D.D., Episcopus Pittsburgensis, Synodum Dioecesanam decimam quartam in Ecclesia Cathedrali, hora octava cum dimidia antemeridiana, die octava mensis Octobris A. D. 1919 celebrandam indixit, et ad eam omnes vocavit sacerdotes quum Saeculares tum Regulares curas animarum in Dioecesi exercentes.

Haec Synodus tempore ab Episcopo praestituto habita est. Siquidem die octava Octobris hora octava cum dimidia, Rev'mus Episcopus Missam celebravit. Finita missa, Litaniis recitatis et cantato hymno "Veni Creator" lectum fuit Decretum de Synodo aperienda et nomina officialium Synodi promulgata fuerunt. Lecto Decreto de Fidei pro fessione, Secretarius omnium nomine professionem Fidei recitavit, quam omnes Synodales, recitata Symboli conclusione, Ego N. N. idem. . . . confirmaverunt.

Hora decima omnes Synodales in aedificii cancellarii aulam recesserunt ad Examinatorum Judicumque Synodalium, et Parochorum Consultorum electionem.

His peractis, omnes Synodales ad Ecclesiam Cathedralem redierunt. Deinde Secretarius instante Promotore annuenteque Episcopo Decretum confirmationis Synodi una cum emendationibus et novis Statutis additis praelexit. Demum Officiales Dioecesani renuntiati atque Paroeciae inamovibiles declaratae sunt.

Facta allocutione verbis dissertissimis de Decretorum observantia et de vita clericali, Reverendissimus Episcopus Synodo finem imposuit. Decantato solemniter cantico "Te Deum" acceptaque benedictione Episcopali, omnes in pace recesserunt.

H. J. GOEBEL,
Synodi Notarius.

DECRETA

Caput I

DE CLERICIS IN GENERE

TITULUS I.

De Vita et Honestate Clericorum

1. Clerici debent sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere. Can 124.

2. Decreta sequentia religiose observanda sunt:

1. Ut clerici omnes poenitentiae sacramento frequenter conscientiae maculas eluant. Can. 125, 1.

2. Ut iidem **quotidie** orationi mentali per aliquod tempus incumbant, Sanctissimum Sacramentum visitent, Deiparam Virginem Mariano rosario colant, conscientiam suam discutiant. Can. 125, 2.

3. 1. Omnes sacerdotes saeculares debent ~~tertio saltem quoque anno~~ spiritualibus exercitiis, per tempus a proprio Ordinario determinandum, in pia aliqua religiosave domo ab eodem designata vacare; neque ab eis quisquam eximatur, nisi in casu particulari, justa de causa et de expressa ejusdem Ordinarii licentia. Can. 126.

2. In ditione Nostra quolibet anno exercitia talia habentur et nomina eorum qui iis interesse debent in Catholicis ephemeridibus dioecesanis publicantur.

4. 1. Caveant clerici ne mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retineant aut quoquo modo frequentent. Can. 133, 1.

2. Eisdem licet cum illis tantum mulieribus cohabitare in quibus naturale foedus nihil mali permittit suspicari, quales sunt mater, soror, amita et hujusmodi aut a quibus spectata morum honestas, cum provectiore aetate conjuncta, omnem suspicionem amoveat. Can. 133, 2.

3. Judicium an retinere vel frequentare mulieres, etiam illas in quas communiter suspicio non cadit, si in peculiari aliquo casu scandalo esse possit aut incontinentiae afferre periculum, ad Ordinarium loci pertinet, cujus est clericos ab hac retentione vel frequentatione prohibere. Can. 133, 3.

4. Contumaces praesumuntur concubinarii. Can. 133, Quomodo contra hos procedendum sit continetur in can. 2177, et 2359.

5. 1. Omnes clerici decentem habitum ecclesiasticum secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta deferant. Can. 136.

2. Stricto praecepto sacerdotibus Nostris injungimus ut ~~tam domi~~ quam foris, sive in propria dioecesi degant, sive extra eam, collare quod "Romanum" vocatur, gerant.

3. Praeterea monemus ut omnes clerici saeculares Nostrae dioeceseos in ecclesia et schola et domi in quantum fieri potest, veste talari, quae clerico propria est, utantur; foris autem veste breviori, quae tamen nigri sit coloris (et ad genua producatur) indui licet.

6. A fidejubendo (going bail) etiam de bonis propriis clericus prohibetur, inconsulto loci Ordinario. Can. 137.

7. Mandamus ut clerici tabernas prorsus devitent, nisi forte causa necessitatis vel in itinere constituti; et sacerdotes Nostros hortamur ut quam maxime abstineant a crapula et ebrietate.

8. 1. Spectaculis, choreis et pompis quae eos dedecent, vel quibus clericos interesse scandalo sit, praesertim in publicis theatris, ne intersint. Can. 140.

2. Iterum mandamus ne clerici ad spectacula accedant, inter quae etiam numeranda sunt quae vulgo "operas" "theaters", "circus", "baseball", "horse-race", et "football" vocantur.

9. Declaramus, salvis utique Juris Canonici praescriptis, clericos (sacerdotes) delictorum infra notatorum reos ac monitionibus canonicove praecepto haud emendatos, re per summarium saltem processum legitime probata, ad juris tramitem fore puniendos censuris ecclesiasticis imo privatione officii vel muneris necnon, si casus fert, inhabilitate perpetua ad quaecunque officia, dignitates et munera ecclesiastica.

Delicta autem contra quae ut supra procedemus praecipua sunt:

a) Fraus vel dolus gravis et damnosus in administratione pecuniae ad ecclesiam pertinentis.

b) Item pecuniarum pro ecclesia acquisitio interdictis modis procurata earumve impermissa elocatio.

c) Porro damnosa falsificatio computorum vel gravis negligentia in aerariis tabellis vel ecclesiae registris curandis.

d) Carnis demum delicta quae ad normam Can. 2177 et 2359 tractabuntur.

e) Vitium ebrietatis, vel frequentatio locorum in quibus potus inebriantes intemperanter maleque adhibeantur.

10. 1. Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem. Can. 142.

2. Qui contra hoc praescriptum agunt, congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario coerceantur. Can. 2380.

11. Sacerdos quilibet sive saecularis sive regularis qui hanc dioecesim, qualibet de causa, relinquit, eo ipso privatus maneat facultatibus omnibus in eadem illi concessis, quamvis iterum in eam redeat, nisi speciali permissione eas continuari concedamus.

12. Districtissime et sub gravi prohibemus ne in ulla ecclesia vel oratorio Nostrae dioceseos, licentia aliquod munus clericale exercendi a quocunque sacerdote concedatur:

1. Cuicumque clerico vago et ignoto (aut ex alia dioecesi dimisso) ~~aut~~ excommunicato, etiamsi alias probis videatur moribus.

2. Omni suspenso aut omnibus privato facultatibus.

3. Cuicumque ex hac dioecesi, aut ex alia propter reatum, etiam non juridice probatum, dimisso.

4. Omni quamvis optimis fulcito litteris commendatitiis aliorum Ordinariorum vel quorumcumque Superiorum, qui sine praevia Nostra licentia scriptis exhibita pecuniam in Nostra ditione, quacumque pro causa, colligere ausus fuerit; salvis semper papalibus mendicantium privilegiis.

5. Aliis autem clericis dioecesim transeuntibus, vel moram in ea pie sancteque gerentibus munera suis ordinibus congrua quae jurisdictione non indigent, exercendi permissio concedi licet donec recursus ad Nos commode haberi queat.

TITULUS II.

De Conferentiis

13. In civitate episcopali . . . . . saepius in anno, diebus arbitrio Ordinarii praestituendis, conventus habeantur, quos collationes seu conferentias vocant, de re morali et liturgica; quibus addi possunt aliae exercitationes, quas Ordinarius opportunas judicaverit ad scientiam et pietatem clericorum promovendam. Can. 131, 1.

14. Conventui interesse debent tum omnes saeculares tum religiosi licet exempti curam animarum habentes et etiam, si collatio in eorum domibus non habeatur, alii religiosi qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt. Can. 131, 3.

15. Sacerdotes contra prescriptum hujus can. 131 contumaces, Ordinarius pro suo prudenti arbitrio puniat; quod si fuerint religiosi confessarii curam animarum non gerentes, eos ab audiendis confessionibus suspendat. Can. 2377.

16. 1. Ab omnibus sacerdotibus qui conferentiis interesse debent scripta brevis expositio thesis dogmaticae ac solutio casus moralis ad conferentiarum secretarium ante diem vel in die conferentiae transmittendae sunt.

2. Qui vero ob causam a Synodalibus probandam adesse nequeunt, supradicta scripta saltem in die conferentiae transmittent.

3. Ab obligatione talia scripta conficiendi et transmittendi eximuntur omnes post annum vicesimum quintum suscepti sacerdotii, dummodo conferentiis adsint.

Salarium parochi praeter victum et hospitium mille et ducenti aurei per annum sunto.

TITULUS III.

De Salario Parochi et Vicarii Cooperatoris

17. 1. Propter nimium hoc tempore auctum alimentorum pretium permittimus ut quilibet parochus mille et trecenta scutata per annum ratione salarii accipiat.

2. Parochus vero cum uno vicario cooperatore mille et quadringenta scutata; parochus cum duobus vicariis cooperatoribus mille et quingenta scutata, ratione salarii sibi vindicare potest.

18. Salarium vicarii cooperatoris ~~mille scutata erit~~ (~~cujus dimidiam partem, nempe quingenta scutata parochus pro hujus victu retinere valet.~~)

Except!

Praeter victum et hospitium quingenti aurei per annum Sunto.

pro victu Sacerdotum et pro victu stipendiisque Ancillarum

19. Sumptus necessarii ad domum paroecialem calefaciendam, illuminandam et aqua supplendam, ex reditibus ecclesiae solvi possunt.

20. (Qui duarum vel plurium ecclesiarum curam habet mille et quingenta scutata accipere potest.) Exeat!

$1200
1/1/33

21. 1. Minori tamen summa contenti sint oportet sacerdotes casu quo eorum paroecia vel paroeciae per reditus suos annuos statutam summam suppeditare nequeant. Nec salaria ex bonis ecclesiae jam acquisitis percipiantur.

2. Defectus salarii vel salarium non perceptum nullo modo tanquam debitum ecclesiae considerari licet.

3. Si salarium perceptum ad honestam sustentationem sacerdotis, audito Consultorum consilio, ex judicio Ordinarii non sufficeret, Ordinarius quod justum fuerit, ordinabit. Si defectus necessariorum ex gravi culpa ipsius sacerdotis, judicio Episcopi cum suis Consultoribus, accidisset, causam querelae justam talis sacerdos nullo modo habebit, nec Episcopus vel dioecesis defectum suppeditare tenetur.

4. Volumus autem et stricte praecipimus ut nulla pecunia ad aliquem specialem finem collecta ad salarium vel finem alienum divertatur.

5. Unoquoque anno salarium percipere debet parochus tempore opportuno quo debitum. Quodsi neglexerit, nec minimam ejus partem postea exigere poterit, sed ecclesiae summam non collectam donasse censebitur. In casu translationis ad aliam paroeciam onus solvendi salarium praedecessoris successori imponi non debet.

TITULUS IV.

De Examine Juniorum Sacerdotum

22. 1. Subjicimus omnes sacerdotes etiam regulares vel alienos postquam sacramenta ministrandi potestatem illis commisimus, ad fovendum sacrarum disciplinarum studium, per quinquennium a die suscepti presbyteratus stricto examini coram Nobis, Nostrove delegato et Synodalibus examinatoribus. Can. 130.

2. Notum fiet omnibus ab ipso anni initio, quibus questionibus ex variis ecclesiasticae scientiae partibus, Scripturae Sacrae, theologiae dogmaticae et moralis, rei liturgicae, canonum codicis, necnon synodorum dioeceseos Nostrae desumptis respondere debeant.

23. 1. Si quis autem examini non satisfecerit, iterum, tempore a Nobis Nostrove delegato determinando, exami-

netur. Tot iteratis examinibus subjicietur, quot nulla vel insufficientia ab examinatoribus fuerint declarata.

2. De singulis autem examinatis scripto exarabitur judicium in archivo Nostro custodiendum.

3. Facultates autem sacerdotibus tali examini adhuc subjectis, tantummodo usque ad finem proximi anni concedentur, adeo ut cessent fine proximi anni usquedum periculum coram examinatoribus absolvant.

4. Qui quinquies in tali tentamine approbati fuerint tanquam plene approbati habendi sunt, eisque facultates usque ad revocationem concedentur.

24. 1. Sacerdotes qui neque ab Ordinario dispensati neque legitimo impedimento detenti examen, de quo in superiori can. 130, facere renuerit, ab Ordinario congruis poenis ad illud cogantur. Can. 2376.

2. Maximi momenti hoc statutum pro sacerdotibus qui nondum quinquies explorati sunt. Facultates datae hoc decreto ab annuo examine usque ad finem sequentis tantum anni conceduntur.

Caput II

DE CLERICIS IN SPECIE

TITULUS I.

De Curia Dioecesana

25. Praescripto Can. 363, obsecundantes Curiam Dioecesanam constituimus constantem illis personis quae Nobis in regimine totius dioeceseos opem praestant, videlicet: Vicariis Generalibus, Officiali, Cancellario, Promotore justitiae, Defensore vinculi, Synodalibus Judicibus et Examinatoribus, Parochis Consultoribus, Auditoribus et Notariis.

26. Nominati vero debent:

a) In manibus Episcopi jusjurandum praestare de munere fideliter exercendo, quavis personarum acceptatione posthabita;

b) Negotia ad se spectantia sub auctoritate Episcopi tractare ad normam juris;

c) Secretum servare intra fines et secundum modum a jure vel ab Episcopo determinatum. Can. 364, 1.

27. Nominationes eorum qui praedicta officia vel munera exercent scripto consignentur ad normam can. 159.

TITULUS II.

De Cancellario

28. Cancellarius religiose observare debet praescripta can. 372, 373, 374, 375, 376, 377, 378, 379, 380, 381, 382, 383, 384.

29. 1. Epistolae per officinam tabellariam missae dirigi debent ad "Rev. Chancellor, 125 N. Craig Street, Pittsburgh, Pa." Relationes annuae statum ecclesiae aliaque istius modi indicantes, statutis temporibus et juxta formas determinatas, cancellario transmittantur.

2. Facultates vel dispensationes vel alia quaelibet quae ad firmitatem obtinendam Nostra auctoritate indigent, scripto semper petantur, et scriptum ad cancellarium transmittatur.

3. Talibus petitionibus responsum scriptum in archivo a pastore custodiendum dabitur.

TITULUS III.

De Examinatoribus et Judicibus Synodalibus Et De Parochis Consultoribus

30. Praescripto can. 385, constituimus duodecim Examinatores et Judices Synodales, et Parochos Consultores a Nobis in synodo propositos et ab ea approbatos.

31. Eorum opera utemur praesertim in experimentis ad provisionem paroeciarum necnon in processibus, de quibus in can. 2147. Hoc in ultimo casu potestatem a Nobis delegatam ad partem in litibus judicandis habendam Judices Synodales sibi vindicabunt.

32. Examinatores, Judices, et Parochi Consultores, sive in synodo sive extra synodum constituti, post decennium ab incepto munere vel etiam prius, adveniente nova synodo, officio cadunt. Can. 387.

33. Pro experimentis vero habendis ad clericorum ordinationem et approbationem sacerdotum qui petunt facultatem excipiendi sacramentales confessiones aut sacras conciones habendi utemur vel Examinatorum Synodalium vel aliorum opera. Can. 389, 2.

34. Idem potest esse Examinator, ~~Judex vel~~ Parochus Consultor, non autem in eadem causa. Can. 390.

35. Removeri nequeunt nisi ex gravi causa et de consilio Consultorum. Can. 388.

TITULUS IV.

De Consultoribus Dioecesanis

36. Sex consultores dioecesanos nominavimus. Horum coetus hac in patria vices Capituli Cathedralis supplet; quae canones ad gubernationem dioeceseos, Capitulo Cathedrali, sive sede plena sive ea impedita aut vacante tribuunt, ea de coetu consultorum dioecesanorum intelligenda sunt.

37. 1. Episcopus nominat consultores. Can. 424.

2. Officium consultorum est ad triennium. C. 426, 1.

3. Exacto triennio, Episcopus vel alios in eorum locum substituat, vel eosdem ad aliud triennium confirmet. Can. 426, 2.

4. Deficiente, quavis de causa, aliquo consultore intra triennium, Episcopus alium de consilio ceterorum consultorum substituat.

38. 1. Durante munere, consultores ne removeantur, nisi ob justam causam ac de consilio ceterorum consultorum. Can. 428.

2. Quolibet mense, statuto tempore, saltem semel conveniant; saepius autem cum id fuerit necessarium.

39. Eorum opera utemur in rebus magni momenti in dioecesi suscipiendis; eorum autem consilium praecipue exquiremus:

1. Pro synodo dioecesana indicenda et publicanda.

2. In paroecia aliqua dismembranda, praehabito tamen dismembrandae paroeciae rectoris consilio.

3. Quando paroecia alicui familiae religiosae tradenda sit, quo in casu etiam necessaria est Sanctae Sedis venia.

4. In constituendis deputatis pro seminario dioecesano.

5. In eligendo novo consultore, necnon in eligendis examinatoribus cleri qui sint loco Synodalium.

6. Quando agitur de bonis et fundis dioeceseos vel paroeciarum permutandis, aliisque agendis quae speciem alienationis prae se ferunt, ubi summa pecuniae valorem quinque millium scutatorum superat.

TITULUS V.

De Vicariis Foraneis

40. Praescriptum Canonis 217, sequentes Dioecesim Nostram in regiones seu districtus divisimus qui veniunt nomine Vicariatus Foranei seu Decanatus, quibus sacerdotes Nobis bene visos uti Vicarios Foraneos assignavimus.

Officium et Jus Vicarii Foranei

41. 1. Vicarius Foraneus invigilare debet: C. 447, 1.

a) Num ecclesiastici viri sui districtus vitam ducant ad normam sacrorum canonum, suisque officiis diligenter satisfaciant, praesertim circa residentiae legem, divini verbi praedicationem, impertiendam pueris atque adultis catechesim, et obligationem infirmis assistendi. Can. 447, 1.

b) Num decreta lata ab Episcopo in sacra visitatione executioni mandentur. Can. 447, 2.

c) Num debitae cautelae circa materiam Sacrificii Eucharistici adhibeantur. Can. 447, 3.

d) Num decor et nitor ecclesiarum et sacrae supellectilis, maxime in custodia SS. Sacramenti et in Missae celebratione, accurate servetur; an sacrae functiones secundum sacrae liturgiae praescripta celebrentur; bona ecclesiastica diligenter administrentur, adnexaque illis onera, imprimis Missarum, rite impleantur; rectene conscribantur et asserventur libri paroeciales. Can. 447, 4.

2. De hisce omnibus ut reddatur certior, Vicarius Foraneus debet, statutis ab Episcopo temporibus, sui districtus paroecias visitare. Can. 447, 2.

3. Vicarius Foraneus debet statim atque audierit aliquem sui districtus parochum graviter aegrotare, operam dare ne spiritualibus ac materialibus auxiliis honestoque funere, cum descesserit, careat; et curare ne, eo aegrotante vel decedente, libri, documenta, sacra supellex alique quae ad ecclesiam pertinent, depereant aut asportentur. Can. 447, 3.

42. Saltem semel in anno Vicarius Foraneus proprii vicariatus rationem reddere debet Ordinario loci, non solum exponens quae intra annum bene gesta sint, sed etiam quae mala obrepserint, quae scandala exorta sint, quae remedia ad ea reparanda adhibita et quidquid agendum existimet ad ea radicitus extirpanda. Can. 449.

43. Vicarius Foraneus sigillum habeat vicariatus proprium. Can. 450.

TITULUS VI.

De Parochis

44. Quae sacris canonibus codicis de instituendis paroeciis sapientissime provisa sunt, hac in dioecesi adamussim servari volumus. Nominavimus sacerdotes quibus paroeciae in titulum cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda collatae sunt, qui tamen non omnes eandem obtinent stabilitatem. Qui majore gaudent stabilitate inamovibiles, qui minore amovibiles appellantur.

45. 1. Jus nominandi et instituendi competit Ordinario loci. Can. 455, 1.

2. Vacanti paroeciae ad normam Can. 155, providebimus. Si de paroecia amovibili agatur sacerdos coram Nobis et Examinatoribus Synodalibus examini super doctrinam subjiciatur; si de paroecia inamovibili provisio fit per concursum ad normam Const. Benedicti XIV. "Cum illud".

3. In hisce autem judiciis ratio habebitur non solum doctrinae sed etiam earum omnium qualitatum, quae ad paroeciam vacantem rite regendam requiruntur. Can. 458, 459.

46. Curam animarum parochus obtinet a momento captae possessionis ad normam Can. 1443 et 1445; et ante possessionem aut in ipso possessionis actu fidei professionem edere debet de qua in Can. 1406, 1, No. 7. Can. 461.

47. Mandamus sub poena suspensionis, ut omnis sacerdos secularis ad pastoris officium admissus intra tres menses post installationem, testamentum suum (will) rite conficiat; et sub eadem poena, ipso facto incurrenda, litteras in quibus notum fiet in quo loco tuto testamentum inveniri possit et ubinam testator sepeliri velit, sigillo si lubet munitas, Cancellario mittat intra decem dies post testamentum confectum.

48. Functiones parocho reservatae sunt, nisi aliud jure caveatur: Can. 462.

1. Baptismum conferre solemniter;

2. Sanctissimam Eucharistiam publice ad infirmos in propria paroecia deferre;

3. Sanctissimam Eucharistiam publice aut privatim tamquam viaticum ad infirmos deferre atque in periculo mortis constitutos extrema unctione roborare, salvo praescripto Can. 397, 3; 514; 48, 2; 938, 2.

4. Sacras ordinationes et ineundas nuptias denuntiare; matrimoniis assistere; nuptialem benedictionem impertiri;

5. Justa funebria persolvere ad normam Can. 1216; Ecclesia in quam cadaver pro funere transferri debet, ex jure ordinario est ecclesia propriae defuncti paroeciae, nisi defunctus aliam funeris ecclesiam legitime elegerit. 171.

6. Domibus ad normam librorum liturgicorum benedicere Sabbato Sancto vel alia die pro locorum consuetudine.

7. Fontem baptismalem in Sabbato Sancto benedicere, publicam processionem extra ecclesiam ducere, benedictiones extra ecclesiam cum solemnitate et pompa impertiri.

49. 1. Parochus ex officio tenetur curam animarum exercere in omnes suos parochianos, qui non sint legitime exempti. Can. 464.

Extra paroeciae limites nullum sacerdotem volumus exire ad munus pastorale exercendum nisi forsan ad excipiendas infirmorum confessiones, qui eum arcessiverint; nec aliorum pastorum oves ad ecclesiam suam accedentes licebit ad sacramenta, excepta Poenitentia et Eucharistia, admittere sine proprii parochi consensu, si ipsius habendi copia sit, vel venia Nostra, nisi grave valde incommodum et detrimentum animarum ex ministerio denegato plane oriturum sit, de quo tenebitur, pastorem proprium quam primum scripto edocere.

2. In casibus autem in quibus ex hac extraordinaria facultate sacramenta administrant, cum id ordinario jure facere non possint, omnes stricte tenentur oblationes occasione sacramenti administrati acceptas illi restituere, cujus fuisset sacramenta illa ministrare.

3. Licet paroeciale aliquod officium ab alio fuerit expletum, praestationes tamen parocho cedunt, nisi de contrario offerentium voluntate certo constet circa summam quae taxam excedit. Can. 463, 3.

50. Prohibemus ne quis absque proprii pastoris permissione vel Nostra licentia in scriptis, scamnum aut partem scamni in aliqua ecclesia extra ecclesiam suam parochialem conducat, salvis semper juribus Ecclesiae Cathedralis. (Qui scamnum, tali permissione, in ecclesia aliena conducit, ipso facto, ejus rectoris fit parochianus, et jura parochialia in ecclesia sui districtus amittit.)

51. Sacerdotes sive saeculares sive regulares monemus ne quid faciant quo fideles a propria ecclesia parochiali alliciantur.

52. 1. Cum post promulgationem codicis non possint sine speciali apostolico indulto constitui paroeciae pro diversitate sermonis seu nationis fidelium in eadem civitate vel territorio degentium, nec paroeciae mere familares aut personales; ad constitutas autem, quod attinet cum inconsulta Sancta Sede, nihil innovandum sit, quod de iis in ultima Synodo statutum est iterum promulgamus. Can. 216, 4.

2. Cum ob linguae diversitatem plures erectae sint in hac Dioecesi ecclesiae in utilitatem eorum qui alieno idiomate utuntur, pastores illarum ecclesiarum sacramenta administrare possunt et debent aliaque omnia pastoris officia peragere parochianis suis dummodo intra limites districtus illis commissi morentur.

3. Illi autem qui hisce idiomatibus utuntur et ecclesias pro talibus erectas noscuntur frequentare, ad illas tanquam parochiales, pertinere putandi sunt. Quare alii parochi cum illis agent eodem modo ac si extra parochiam suam morati essent.

4. Alienigenae qui in districtu habitant saltem quinque millia a propriae suae linguae ecclesia remoto, ad hujus districtus paroeciam pertinebunt. Parochus vero hujus districtus sub gravi tenetur saltem bis in anno sacerdotem eorum linguae gnarum providere ut confessionem peragere queant.

(A) De Residentia Parochorum

53. 1. Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam. Can. 465, 1.

2. Sive continuum sive intermissum sit vacationum tempus, cum absentia ultra hebdomadam est duratura, parochus, praeter legitimam causam habere debet Ordinarii scriptam licentiam et vicarium substitutum sui loco relinquere ab eodem Ordinario probandum; quod si parochus sit religiosus, indiget praeterea consensu Superioris, et substitutus tum ab Ordinario tum a Superiore probari debet.

3. Pro breviori absentia parochus debet fidelium necessitatibus providere.

(B) De Missa Pro Populo Applicanda

54. 1. Applicandae Missae pro populo obligatione tenetur parochus, post captam paroeciae possessionem, omni exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, omnibus dominicis aliisque festis diebus de praecepto, etiam suppressis, Missam pro populo sibi commisso applicare. Can. 46 .

2. Ordinarius loci justa de causa permittere potest in casu particulari ut parochus Missam pro populo alia die applicet ab ea qua jure adstringitur. Missa pro populo celebranda est in ecclesia paroeciali nisi rerum adjuncta Missam alibi celebrandam exigant aut suadeant.

3. Legitime absens parochus potest Missam pro populo applicare vel ipse per se in loco in quo degit, vel per sacerdotem qui ejus vices gerat in paroecia. Can. 466, 5.

(C) De Variis Obligationibus

55. Debet parochus officia divina celebrare, administrare sacramenta fidelibus, quoties legitime petant, suas oves cognoscere et errantes prudenter corrigere, pauperes ac miseros paterna caritate complecti, maximam curam adhibere in catholica puerorum institutione. Can. 467, 1.

56. 1. Sedula cura et effusa caritate debet parochus aegrotos in sua paroecia, maxime vero morti proximos, adjuvare, eos sollicite sacramentis reficiendo eorumque animas Deo commendando. Can. 468, 1.

2. Parocho aliive sacerdoti qui infirmis assistat, facultas est eis concedendi benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis, secundum formam a probatis liturgicis libris traditam, quam benedictionem impertiri ne omittat. Can. 468, 2.

57. 1. Habeat parochus libros paroeciales, id est, librum baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum; etiam librum de statu animarum accurate conficere pro viribus curet.

2. In libro baptizatorum adnotetur, quoque si baptizatus confirmationem receperit, matrimonium contraxerit, matrimoniis conscientiae exceptis, aut sacrum subdiaconatus ordinem susceperit, vel professionem emiserit eaeque adnotationes in documenta accepti baptismatis semper referantur. Can. 470.

58. Unoquoque tertio anno parochus per se vel per sacerdotes assistentes populum sibi commissum per domos visitet ad censum parochialem conficiendum ad normam in libro Status Animarum traditam. Inquirat de statu familiae, de liberis, num baptizati sint, in Catechismo instructi, visitentne scholam catholicam, num sacro chrismate obsignati, num ad sacram Synaxim per tempus paschale accesserint, invigilet quoque quae ephemerides in familia legantur, et ut catholicae introducantur. ~~Can. 2383.~~

TITULUS VII.

De Vicariis Cooperatoribus

59. 1. Vicarius cooperator obligatione tenetur in paroecia et in domo paroeciali residendi. Can. 476, 5.

2. Per totam diem a domo paroeciali abesse non licet sine licentia parochi; domum vero revertere debet (saltem hora decima pomeridiana.) hora nocturna rationabili.

3. Ubi vero duo vel plures vicarii in domo degunt paroeciali, unus semper domi adesse debet pro cura animarum.

60. 1. Ejus jura et obligationes ex statutis dioecesanis, ex litteris Ordinarii et ex ipsa parochi commissione desumantur; sed nisi aliud expresse caveatur, ipse debet ratione officii parochi vicem supplere, eumque adjuvare in universo paroeciali ministerio, excepta missae applicatione pro populo. Can. 476, 6.

2. Dependet in omnibus paroecialibus operibus a parocho et sine illius consensu nihil novi in cura animarum nec moliri nec aggredi debet.

61. 1. Subest parocho, qui eum paterne instruat ac dirigat in cura animarum, ei invigilet et saltem quotannis ad Ordinarium de eodem referat. Can. 476, 7.

2. Parocho porro reverentia et obedientia monstrandae sunt; in domo autem paroeciali stare semper debent vicarii in "caritate, in vinculo pacis." Eph. IV., 2-5, ut in eis vera fiant Psalmistae verba: "Quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum". Ps. 132.

62. In primo quinquennio a suscepto sacerdotio debent sermones plene conscribere, qui Nobis, Nostrove delegato in visitatione canonica monstrentur.

Caput III

DE RELIGIOSIS.

TITULUS I.

63. Districte prohibemus ne ullus sacerdos hujus dioeceseos familiam religiosam aliquam in paroeciam vel missionem suam introducat quin prius consilium et consensum Nostrum obtinuerit.

64. Sorores omnio prohibentur sine licentia episcopi quin sacrorum curatorum exerceant officia aut in ecclesiarum paroecialium sacristiis vel sanctuariis, vel in ecclesiis ipsis laborem impendant servilem.

Caput IV

TITULUS I.

De Societatibus Laicorum.

65. Laici jus habent recipiendi a clero, ad normam ecclesiasticae disciplinae, spiritualia bona et potissimum adjumenta ad salutem necessaria. Can. 682.

66. Curent locorum Ordinarii ut in qualibet paroecia instituantur confraternitates Sanctissimi Sacramenti, ac doctrinae christianae; quae, legitime erectae ipso jure aggregatae sunt eisdem Archi-confraternitatibus in Urbe a Cardinali Urbis Vicario erectis. Can. 711, 2.

67. 1. Praeter confraternitates in hoc Canone commemoratas ex intimo corde et maxime commendamus Apostolatum Orationis, Societatem SS. Nominis Jesu, Sodalitatem B. M. Virginis, Consociationem S. Familiae, Confraternitatem Matrum Christianarum, Tertium Sti. Francisci Ordinem, Societatem Sti. Vincentii a Paulo, Societatem Ad Abstinentiam Totalem Promovendam, Societates Missionum, et Nostram Societatam "Missionary Aid." 277.

2. Non intendimus societates omnes quas non agnoscimus, ex hoc solo capite condemnare, dummodo nullo alio vitio laborent.

68. 1. Quum ex societatibus religiosis bona multa oriantur dummodo bene sint institutae, et e contra mala haud levia timenda sint, si male constituantur vel dirigantur, Nostrum esse duximus haec de illis discernere:

2. Nulla societas tamquam societas religiosa in hac dioecesi agnoscetur nisi societatem ipsam et scopum quem sibi proponit et statuta quibus regitur, post institutum debitum examen approbatione dignam judicaverimus, quae approbatio in scriptis obtineri debet.

3. Tres autem seligimus sacerdotes qui constitutiones et regulas omnium societatum de quibus dubium oriatur, stricto examini subjiciant.

4. Statuta sic a Nobis approbata Nobis inconsultis mutari non debent.

69. 1. Leges et statuta dioeceseos a quavis societate religiosa stricte observanda sunt. Quando agitur de festivitatibus pro pecuniis colligendis scripta Episcopi licentia, per Rectorem ecclesiae cui adjuncta est societas, obtineri debet. Societas, quae legibus non obedit, uti mere saecularis et haud approbata habenda est.

2. Omnis Capellanus aut Spiritualis Moderator cujusvis societatis a Nobis eligendus et approbandus est. Nulli autem sacerdoti licebit munus Capellani seu Spiritualis Moderatoris pro societate non approbata peragere.

70. 1. Nisi societas quaelibet sit ut religiosa a Nobis modo supradicto approbata, nec in ecclesiam nec ad processionem religiosam, tamquam sociorum caterva admittatur. Nec sacerdoti licebit vel ejus conventus annuntiare, vel opus ab ea susceptum vel suscipiendum publice commendare, vel collectiones pro ea sancire, vel aliud facere quod eam aut ejus instituta approbari indicet.

2. Quando die Dominica, occurente primarii lapidis benedictione vel alia hujus modi solemnitate religiosa, Catholicorum societates vel processiones per vias incedunt, tubarum concentum, tympanorum pulsationem et alium quemvis strepitum non approbamus.

3. Prohibemus processiones religiosas fieri per vias sine speciali Nostra licentia prius in scriptis habita. Prohibemus pariter milites advocari ut religiosis celebrationibus pompa addatur; tormentorum quoque bellicorum explosionem in his prohibemus.

Non intendimus autem prohibere societates vel milites qui devotioni suae satisfacere volentes ad ecclesiam processionaliter ire volunt, etiam vestibus vel insignibus propriis ornatos accedere, nec ut societates religiosae pro celebrationibus civilibus, cum ipsis visum fuerit publice appareant, sed vexilla vel alia signa religiosa tunc absque permissione Nostra adhiberi prohibemus.

4. Militibus tamen hujus Reipublicae vel civitatis, urbis vel municipii apparitoribus (police), custodibus quorum est incendia extinguere (firemen), ecclesiarum ostia semper patebunt; nunquam tamen Liberis Muratoribus, Sociis Singularibus vel aliis societatibus ab ecclesia vel a Nobis non approbatis.

71. 1. Sodalitates Operariorum qui nihil aliud sibi proponunt quam in juribus suis defendendis mutuo sese tueri et adjuvare non damnamus, dummodo justitiae limites ne excedant.

2. Quae de societatibus hic statuimus nullo modo respiciunt illas quae a Sede Apostolica approbatae sunt.

72. Societates inhonestas sive sint censura prohibitae, sive non, omnino reprobamus. Sequentes autem sunt sub censura:

1. Sectae vel societates quae contra ecclesiam vel legitimas potestates, sive palam sive clandestine, machinantur, ut sectae massonicae, carbonariae, sectae nihilistarum, communistarum, et socialistarum.

2. Societates in quibus sodales juramento vel alio modo sese obligant ad arcanum servandum, quod nec auctoritati ecclesiasticae manifestare permittuntur.

3. Societates quae ab asseclis juramentum vel promissionem caecae absolutaeque obedientiae exigant. Societates quae proprio marte presbyterum aliumve ministrum cultus sibi vindicant, quae rituali ac caeremoniis propriis utuntur etiam praeter censuras contra societates a S. Sede latas, eas quoque contra haereticos et schismaticos incurrunt.

73. In quaestione an permitti possit causa magni damni materialis vitandi, et remota quavis alia earundem sectarum participatione, nomen proprium in sociorum catalogis retinere necnon in praefatae taxae vel aeris alieni solutione stato tempore perseverare, responsum fuit a S. Congregatione per Card. Parrochi: Generatim loquendo non licere; et ad mentem. Mens est, quod ea res tolerari possit sequentibus conditionibus et adjunctis, simul in casu concurrentibus, scilicet:

1. Si bona fide sectae primitus nomen dederit, antequam sibi innotuisset societatem fuisse damnatam.

2. Si absit scandalum vel opportuna removeatur declaratione id a se fieri ne jus ad emolumenta vel beneficium temporis in aere solvendo amittat; a quavis interim sectae communione et a quoque interventu, etiam materiali, ut praemittitur, abstinendo.

3. Si grave damnum sibi aut familiae ex renunciatione obveniat.

4. Tandem ut non adsit vel homini illi vel familiae ejus periculum ullum perversionis ex parte sectariorum spectato praecipue casu vel infirmitatis vel mortis; neve similiter adsit periculum funeris peragendi a ritibus catholicis alieni.

Haec facultas data est Delegato Apostolico ejusque successoribus in Foederatis Americae Septentrionalis Statibus, die 18. Januarii, 1896.

Caput V

DE SACRAMENTIS

TITULUS I.

De Sacramentis in Genere

74. 1. In sacramentis conficiendis, administrandis ac suscipiendis accurate serventur ritus et caeremoniae quae in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praecipiuntur. Can. 733.

2. Unusquisque autem ritum suum sequatur salvo praescripto can. 851, 2 et 866.

3. Clerici majores qui in sacro ministerio ritus et caeremonias ab Ecclesia praescriptas graviter negligant et moniti sese non emendaverint, suspendantur pro diversa reatus gravitate. Can. 2378.

75. 1. Pro administratione sacramentorum minister nihil quavis de causa vel occasione sive directe sive indirecte exigat aut petat. Can. 736.

2. Ceterum, nullo pacto inhibemus ne sacerdotes recipiant quae sponte offerant fideles juxta laudabiles consuetudines, in sacrorum ministrorum sustentationem, occasione matrimonium celebrandi vel baptismum ministrandi.

TITULUS II.

De Baptismo

76. In alieno territorio nemini licet, sine debita licentia, baptismum solemnem conferre ne sui quidem loci incolis. Can. 739.

77. Baptismus cum ministratur servatis omnibus ritibus et caeremoniis quae in ritualibus libris praecipiuntur, appellatur Solemnis - secus non solemnis seu privatus. Can. 737, 2.

78. Patri aut matri suam prolem baptizare non licet, praeterquam in mortis periculo, quando alius non praesto est, qui baptizet. Con 742, 3.

79. Parvulorum nomine veniunt qui nondum usum rationis adepti sunt ad normam can. 88. Adulti autem censentur qui rationis usu fruuntur. Can. 745.

80. Impubes ante plenum septennium dicitur infans seu puer vel parvulus et censetur non sui compos; expleto septennio habere praesumitur usum rationis. Can. 88.

81. 1. Tam sacerdotem, qui adultos baptizaturus est quam ipsos adultos qui sani sunt, decet esse jejunos. Can. 753, 1.

2. Nisi graves urgentesque causae obsint, adultus baptizatus statim sacrificio Missae assistat et sacram Communionem percipiat. Can. 753, 2.

82. 1. Extra mortis periculum baptismum privatum loci Ordinarius permittere nequit, nisi agatur de haereticis qui in adulta aetate sub conditione baptizentur. Can. 759, 2.

2. Infans infidelium, etiam invitis parentibus licite baptizatur, cum in eo versatur vitae discrimine, ut prudenter praevideatur moriturus, antequam usum rationis attingat. Can. 750, 1.

3. Extra mortis periculum dummodo catholicae ejus educationi cautum sit, licite baptizatur:

a) Si parentes vel tutores aut saltem unus eorum consentiat;

b) Si parentes, id est pater, mater, avus, avia, vel tutores desint, aut jus in eum amiserint vel illud exercere nullo pacto queant. Can. 750, 2.

4. Circa baptismum infantium duorum haereticorum aut schismaticorum aut duorum catholicorum qui in apostasiam vel haeresim vel schisma prolapsi sunt, generatim serventur normae in canone 750 constitutae. Can. 751.

83. 1. Ex vetustissimo Ecclesiae more nemo solemniter baptizetur nisi suum habeat, quantenus fieri possit, patrinum. Can. 762, 1.

2. Ut quis valide sit patrinus praeter conditiones hucusque necessarias, ut sit baptizatus, rationis usum assecutus, intentionem habeat, sit designatus a baptizando vel ejus parentibus vel tutoribus vel his deficientibus a ministro, ut baptizandum physice teneat vel tangat vel statim levet seu suscipiat per se vel procuratorem, ex novo jure requiritur.

3. Ut ad nullam pertineat haereticam aut schismaticam sectam, nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus, aut infamis infamia juris aut exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus vel degradatus; nec sit pater vel mater vel conjux baptizandi. Can. 765, 2 et 3.

84. Ut autem licite quis patrinus admittatur, oportet:

1. Decimum quartum suae aetatis attigerit nisi aliud de justa causa ministro videatur.

2. Non sit propter notorium delictum excommunicatus vel exclusus ab actibus legitimis vel infamis infamia juris

quin tamen sententia intercesserit, nec sit interdictus aut alias publice criminosus vel infamis infamia facti.

3. Fidei rudimenta noverit.

4. In nulla religione sit novitius vel professus, nisi urgeat necessitas et expressa habeatur venia Superioris.

5. In sacris ordinibus non sit constitutus nisi accedat expressa Ordinarii proprii licentia.

85. 1. Proles ritu parentum baptizari debet. Can. 756, 1.

2. Si alter parentum pertineat ad ritum latinum, alter ad orientalem, proles ritu patris baptizetur nisi aliud jure speciali cautum sit. Can. 756, 2.

86. 1. Parochi debent nomina baptizatorum, mentione facta de ministro, parentibus ac patrinis, de loco ac die collati baptismi, in baptismali libro sedulo et sine ulla mora referre. Can. 777, 1.

2. Ubi de illegitimis filiis agatur, matris nomen est inserendum si publice ejus maternitas constet, vel ipsa sponte sua scripto vel coram duobus testibus id petat; item nomen patris, dummodo ipse sponte sua a parocho vel coram duobus testibus id requirat, vel ex publico documento sit notus; in ceteris casibus inscribatur natus tanquam filius patris ignoti vel ignotorum parentum. Can. 777, 2.

87. In domibus privatis baptismus solemnis administrari non debet nisi loci Ordinarius pro suo prudenti arbitrio et conscientia justa ac rationabili causa in casu aliquo extraordinario id concedendum censuerit. Can. 776, 1 et 2.

88. Ex baptismo spiritualem cognationem contrahunt tantum cum baptizato baptizans et patrinus. Can. 768.

89. Fontes Baptismales, qui sub clave esse debent, in unaquaque ecclesia hujus dioeceseos, ubi Baptismi Sacramentum ordinarie ministratur, erigendos statuimus.

90. Ad praecavenda scandala prohibemus collationem Sacramenti Baptismi in Sabbato nisi necessitas aliud persuaserit.

Abrogated by Synod 1939

TITULUS III.

De Confirmatione

91. 1. Patrinus unum tantum confirmandum aut duos praesentet nisi aliud justa de causa ministro videatur. Can. 794, 1.

Exeat!

2. Quod si hoc sine gravi incommodo fieri nequeat, saltem duo aut plures patrini pro cunctis maribus, et duae aut plures matrinae pro cunctis feminis adhibeantur.

3. Unus quoque pro singulis confirmandis sit patrinus, Can. 794, 2. Patrinus confirmandum in confirmationis actu per se vel per procuratorem physice tangere debet. Can. 795, 5.

92. Etiam ex valida confirmatione oritur inter confirmatum et patrinum cognatio spiritualis. Can. 797. Sed ex hac cognatione non amplius oritur impedimentum matrimonium dirimens.

93. Nomina ministri, confirmatorum, parentum et patrinorum, diem ac locum confirmationis parochus inscribat peculiari libro praeter adnotationem in libro baptizatorum. Can. 798.

Insert new laws for extraordinary hunter!

TITULUS IV.

DE SS. EUCHARISTIA

De Sacrosancto Missae Sacrificio

94. 1. Sacerdos extraneus ecclesiae in qua celebrare postulat, exhibens authenticas et adhuc validas litteras commendatitias sui Ordinarii, si sit saecularis vel sui Superioris, si religiosus, vel Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, si sit ritus Orientalis, ad Missae celebrationem admittatur, nisi interim aliquid eum commississe constet, cur a Missae celebratione repelli debeat. Can. 804, 1.

2. Si iis litteris careat sed rectori ecclesiae de ejus probitate apprime constet, poterit admitti; si vero rectori sit ignotus, admitti adhuc potest semel vel bis dummodo, ecclesiastica veste indutus, nihil ex celebratione ab ecclesia in qua litat, quovis titulo, percipiat, et nomen, officium, suamque dioecesim in peculiari libro signet. Can. 804, 2.

95. Nulli sacerdoti celebranti, praeter Episcopum aliosque praelatos usu pontificalium fruentes, licet, sola honoris aut solemnitatis causa, habere presbyterum assistentem. Can. 812.

96. Sacerdos Missam ne celebret sine ministro qui eidem inserviat et respondeat. Can. 813, 1.

97. Hortamur fideles saltem diebus dominicis et festis de praecepto in ecclesia propria parochiali Missae interesse.

98. Facultatem duas missas eadem die celebrandi e Can. 806, 2, concedere Nobis licet. Illam omnibus sacerdotibus qui in hac Dioecesi missam celebrare possunt sic communicamus, ut illam exercere valeant quandocumque in sua vel alia ecclesia necesse erit ut compleatur numerus missarum quae diebus Dominicis et Festis de praecepto celebrari solent. Nolumus autem ut absque Nostra licentia speciali, numerus iste ita extendatur ut de ordinario duae missae sint ab eodem celebrandae, neque ut sacerdotes absentia sua hanc necessitatem absque venia Nostra aliis imponant.

99. Ut pia fidelium devotio in sublevationem animarum in Purgatorio detentarum foveatur, privilegium missas de Requiem quocumque festo duplici minori canendi a Sancta Sede obtinuit illudque in Synodo IV. annuntiavit Michael O'Connor, Primus Pittsburgensis Episcopus.

100. Missam in domibus privatis non celebretur nisi forsan statio habeatur ut sacramenta fidelibus administrentur, et hoc fieri non debet absque permissione speciali.

101. Prohibemus ne ecclesia ulla, oratorium aut capella hujus dioeceseos aperiatur fidelibus ad officia divina vel sacrum accedentibus ante quintam horam post mediam noctem in die Natali Domini. Deleted by Synod 1/17/29

102. Oves suas moneant et cohortentur parochi ut singulis, si fieri possit, diebus et praecipue in Festis Domini Nostri, Beatissimae Virginis, Sti. Joseph, et Patroni Ecclesiae, ubi nulla adest legis obligatio, missae sacrificio devote interesse velint, quod ipsi parochi qua decet pietate ac reverentia hora praefinita, quantum fieri poterit, offerre non omittant.

103. Unicuique hujus dioeceseos ecclesiae atque sacello existenti anno 1881, Sedes Apostolica privilegium concessit singulis hebdomadibus celebrandi etiam festis duplicibus duas missas de requiem privatas nisi tales specialiter rubricis prohibeantur. Quod quidem privilegium nullo modo est personale sed locale proindeque bis tantum eadem hebdomada, etiamsi plures in hac ecclesia vel sacello sacerdotes celebrent.

Can. 821, par 2 + 3 to be substituted.

TITULUS V.

De Missarum Stipendiis

104. 1. Quoties autem pluries in die celebrat, si unam missam ex titulo justitiae applicet sacerdos, praeterquam in die Nativitatis Domini, pro alia eleemosynam recipere nequit, excepta aliqua retributione ex titulo extrinseco. Can. 824, 2.

2. Tot celebrandae et applicandae sunt missae quot stipendia etiam exigua data et accepta fuerint. Can. 828.

105. 1. Statuimus ut stipendium pro missa lecta celebranda sit unum scutatum ($1). Pro missa cantata autem ante decimam horam incepta, quinque scutata ($5); post horam decimam incepta decem scutata ($10); pro missa solemni viginti scutata ($20) exigere licet.

1a Ex stipendio Missae cantatae vel solemnis compensatio organistae unum scutatum erit. Ex stipendio Missae solemnis diaconus quinque scutata recipiet, et compensatio subdiaconi quinque scutata erit.

2. Compensatio pro vicario in matrimonio vel funeribus cum missa cantata vel solemni erit quinque scutata. Ex stipendio vicarii organista compensari debet. In matrimonio vel funeribus extra missam compensatio pro vicario erit duo scutata.

3. Pro funeribus vehiculum et taxam duorum scutatorum exigere potest sacerdos, qui ad coemeterium vadit; sed stipendium exigere non licet neque ratione domum adeundi neque pro tinnitu, pluribus candelis, ceterisque hujusmodi.

106. 1. Emolumenta funeralia et nuptialia spectant ad parochum. Consuetum tamen stipendium in functionibus exsequialibus et nuptialibus pro missa vicem gerenti praebere tenetur parochus. $1.00 for low $5.00 for sung

2. In stipendiis et emolumentis his exigendis sacerdotes debita cum prudentia sese gerent ut omnis pactionis et turpis lucri suspicio amoveatur.

107. 1. Statuimus ne quis plus neque regulariter minus stipendium exigat quam Episcopo suo opportunum ac justum visum fuerit.

2. Sacerdoti fas est oblatam ultro majorem stipem pro missae applicatione accipere. Can. 832.

3. Missae pro quibus celebrandis tempus ab oblatore expresse praescriptum est eo omnino tempore sunt celebrandae. Can. 834, 1.

108. 1. Si oblator nullum tempus pro missarum manualium celebratione expresse praescripserit:

a) Missae pro urgenti causa oblatae quamprimum tempore utili sunt celebrandae.

b) In aliis casibus missae sunt celebrandae intra modicum tempus pro majore vel minore missarum numero. Can. 834.

c) Nemini licet tot missarum onera per se celebrandarum recipere quibus intra annum satisfacere nequeat. Can. 835.

d) Omnes sacerdotes sive saeculares sive religiosi debent accurate adnotare in peculiari libro quas quisque missarum intentiones receperit, quibusve satisfecerit. Can. 844, 2.

e) Post annum a die suscepti oneris, sacerdotes aut alii obligati missarum onera nondum impleta cum sua eleemosyna Ordinario aut S. Sedi sub gravi tradere tenentur. Qui missas cum sua eleemosyna Ordinario aut S. Sedi tradiderint ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevantur.

109. Ubi viget consuetudo oblata accipiendi et pro pluribus defunctis missas prima hebdomada Novembris celebrandi, oblata aequaliter inter pastorem et assistentes dividenda sunt; unusquisque vero septem missas offere tenebitur.

TITULUS VI.

De Sacra Communione

110. Nemini licet sanctissimam Eucharistiam recipere qui eam eadem die jam receperit nisi in casibus de quibus in Can. 858, 1. Can. 857.

111. Ubi necessitas urgeat nec sacerdos diversi ritus adsit, licet sacerdoti orientali qui fermentato utitur ministrare Eucharistiam in azymo, vicissim latino aut orientali qui utitur azymo, ministrare in fermentato at suum quisque ritum ministrandi servare debet. Can. 851, 2.

112. Infirmi qui jam a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant, de prudenti confessarii consilio SS. Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint. Can. 858, 2. Medicinam licet sumere etiamsi non sit in modum potus.

113. 1. Pueris qui propter aetatis imbecillitatem nondum hujus sacramenti cognitionem et gustum habent,

Eucharistia ne ministretur. Can. 854, 1.

2. In periculo mortis, ut sanctissima Eucharistia pueris ministrari possit ac debeat, satis est ut sciant Corpus Christi a communi cibo discernere, illudque reverenter adorare. Can. 854, 2.

3. Extra mortis periculum plenior cognitio doctrinae christianae et accuratior praeparatio merito exigitur, ea scilicet, qua ipsi fidei saltem mysteria necessaria necessitate medii ad salutem pro suo captu percipiant, et devote pro suae aetatis modulo ad sanctissimam Eucharistiam accedant. Can. 854, 3.

4. De sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem judicium esto sacerdoti a confessionibus, eorumque parentibus, aut iis qui loco parentum sunt. Can. 854, 4.

114. Volumus etiam ut Paschalis Communio in ecclesia parochiali suscipiatur.

TITULUS VII.

De Poenitentia

115. 1. Ordinaria jurisdictione ad confessiones excipiendas potiuntur pro suo quisque territorio Ordinarius loci, et parochus aliique qui loco parochi sunt. Can. 873, 1.

2. Omnes utriusque cleri sacerdotes ad audiendas confessiones approbati in aliquo loco, sive ordinaria sive delegata jurisdictione instructi possunt etiam vagos ac peregrinos ex alia dioecesi vel paroecia ad sese accedentes, itemque catholicos cujusque ritus orientalis, valide et licite absolvere.

3. Qui ordinariam habent absolvendi potestatem, possunt, subditos absolvere ubique terrarum. Can. 881, 2.

4. In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvo praescripto Can. 884 et 2252. Can. 882.

116. Omnis parochus tempus ad confessiones accipiendas idoneum in sua paroecia statuere et publicare debet.

117. Atrox et indigna eorum est agendi ratio qui ubi gravis culpa non apparet, sacramentalis absolutionis beneficium denegant fidelibus qui nolint collectis stipem dare; imo etiam aegrotantibus ac morti proximis adsistere ac sacramenta praebere recusant.

118. 1. Prohibemus autem omnibus in Nostra ditione confessariis sub poena suspensionis ipso facto incurrenda: (a) ne per seipsos aut per alios quoscunque sub quocunque praetextu recipiant oblata ex fidelibus occasione vel intuitu confessionis sacramentalis, (ante, in decursu, vel post confessionem; (b) ne tradant aut permittant ut alii quicunque tradant schedulas pretio appretiatas seu emptas quae admittant fideles ad confessionem instituendam, aut ad alia sacramenta recipienda.

2. Prohibemus insuper sub eadem poena ne quis confessarius in Nostra ditione quemquam poenitentem accedentem ad confessionem repellere sive aliter disposito absolutionem negare audeat eam ob causam quod poenitens nullam schedulam exhibeat aut nullam pecuniam in hunc finem solverit.

119. 1. Vetamus sub poena suspensionis ne feminarum confessiones audiantur extra sedem confessionalem erectam in loco patenti et conspicuo in ecclesia, vel oratorio publico, aut sacello mulieribus destinato.

2. Licitum erit audire extra sedem confessionalem confessiones aegrotantium aut infirmarum feminarum in aedibus privatis; vel feminarum quae accedunt ad confitendum in missionibus procul ab ecclesia vel oratorio; vel in ecclesiis aut oratoriis tempore Quadraginta Horarum vel in exercitiis spiritualibus, ex causa necessitatis, et per crates in loco conspicuo positas.

3. Licitum etiam erit confessiones surdarum et infirmarum extra sedem confessionalem et etiam in sacristia audire, sed semper in loco patenti et per crates, nisi necessitas excuset.

120. Si confessarius dubitare nequeat de poenitentis dispositionibus et hic absolutionem petat, absolutio nec deneganda nec differenda est. Can. 886.

TITULUS VIII.

De Confessione Religiosarum

121. Revocata qualibet contraria particulari lege seu privilegio sacerdotes tum saeculares tum religiosi, cuiusve gradus aut officii ad confessiones quarumcumque religiosarum ac novitiarum valide et licite recipiendas peculiari jurisdictione indigent, salvo praescripto Can 239, 1 et Can. 522, 523. Can. 876.

122. Si aliqua religiosa ad suae conscientiae tranquillitatem, confessarium adeat ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, confessio in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semi-publico peracta, valida et licita est. Can. 522.

123. Religiosae omnes cum graviter aegrotant licet mortis periculum absit, quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, etsi non destinatum religiosis, arcessere possunt eique perdurante gravi infirmitate quoties voluerint confiteri, nec Antistita potest eas sive directe sive indirecte prohibere. Can. 523.

TITULUS IX.

De Peccatis et Censuris Reservatis

124. Unicum peccatum ratione sui reservatum Sanctae Sedi est falsa delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud judices ecclesiasticos. Can. 894.

125. 1 Reservatio censurae impedientis receptionem Sacramentorum importat reservationem peccati cui censura adnexa est; verum si quis a censura excusatur vel ab eadem fuit absolutus reservatio peccati penitus cessat. Can. 2246, 3.

2. Si agatur de censura quae non impedit sacramentorum receptionem censuratus rite dispositus et a contumacia recedens, potest absolvi a peccatis, firma censura. Can. 2250, 1.

126. Si confessarius ignorans reservationem poenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata. Can. 2247, 3.

127. Absolutio complicis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis periculo; et etiam in mortis periculo, extra casum necessitatis, est ex parte confessarii illicita. Can. 884.

2. Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi incurrit ipso facto excommunicationem specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam; idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo possit excipere morientis confessionem excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri. Can. 2367, 1.

128. 1. Ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV. Sacramentum Poe-

nitentiae, 1. Jun. 1741, debet poenitens sacerdotem, reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare loci Ordinario, vel Sacrae Congregationi S. Officii et confessarius debet, graviter onerata ejus conscientia, de hoc onere poenitentem monere.

2. Qui sollicitationis crimen commiserit suspendatur a celebratione missae et ab audiendis sacramentalibus confessionibus, vel etiam pro delicti gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declaretur, privetur omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, et inhabilis ad ea omnia declaretur, et in casibus gravioribus degradationi quoque subjiciatur. Can. 2368.

TITULUS X.

De Absolutione ~~Censurarum~~ Peccatorum ab Ordinario Reservatarum

129. Ipso jure a casibus quos quoquo modo sibi Ordinarius reservaverit absolvere possunt tum parochi aliive qui parochorum nomine in jure censentur, toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili, tum singuli missionarii quo tempore missiones ad populum haberi contingat. Can 899, 3.

130. Quaevis reservatio Episcopalis omni vi caret:

1. Cum confessionem peragunt sive aegroti qui domo egredi non valent, sive sponsi matrimonii ineundi causa.

2. Quoties vel legitimus superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit, vel prudenti confessarii judicio absolvendi facultas a legitimo superiore peti nequeat sine gravi poenitentis incommodo aut periculo violationis sigilli sacramentalis.

3. Extra territorium reservantis etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit. Can. 900.

TITULUS XI.

De Absolutione Aliarum Censurarum

131. 1. In casibus publicis potest Ordinarius poenas latae sententiae jure communi statutas remittere, exceptis:

a) Casibus ad forum contentiosum deductis;

b) Censuris Sedi Apostolicae reservatis. Can. 2237, 1.

2. In casibus vero occultis, firmo praescripto can.

2254 et 2290, de casibus urgentioribus, potest Ordinarius poenas latae sententiae jure communi statutas per se vel per alium remittere, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatis. Can. 2237, 2.

132. Qui in periculo mortis constituti, a sacerdote, specialis facultatis experto, receperunt absolutionem ab aliqua censura ab homine vel a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, tenentur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad illum qui censuram tulit, si agatur de censura ab homine; ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum ad norman Can. 2254, 1, si de censura a jure; eorumque mandatis parendi.

133. Extra mortis periculum possunt absolvere:

1. A censura non reservata in foro sacramentali quilibet confessarius; extra forum sacramentale quicumque jurisdictionem in foro externo habeat in reum.

2. A censura ab homine, ille cui censura reservata est ad normam Can. 2245, 2.; ipse autem potest absolutionem concedere, etiamsi reus alio domicilium vel quasi-domicilium transtulerit.

3. A censura a jure reservata ille qui censuram constituit vel cui reservata est, eorumque successores aut competentes superiores aut delegati.

4. Quare a censura reservata Episcopo vel Ordinario quilibet Ordinarius absolvere potest suos subditos, loci vero Ordinarius etiam peregrinos; a reservata Sedi Apostolicae haecce aliive qui absolvendi potestatem ab ea impetraverint, sive generalem, si censura simpliciter reservata sit, sive specialem, si reservata speciali modo, sive denique specialissimam, si reservata specialissimo modo, salvo praescripto. Can. 2254.

134. In casibus urgentioribus, si nempe censurae latae sententiae exterius servari nequeant sine periculo gravis scandali vel infamiae aut sit poenitenti in statu gravis peccati durum permanere per tempus necessarium ut superior competens provideat, tunc quilibet confessarius in foro sacramentali ab eisdem quoquo modo reservatis absolvere potest, injuncto onere recurrendi, sub poena reincidentiae intra mensem saltem per epistolam et per confessarium, si id fieri potest sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve superiorem praeditum facultate et standi ejus mandatis. Can, 2254, 1.

TITULUS XII.

De Indulgentiis

135. Ad quasdam indulgentias lucrandas confessio forte requisita peragi potest intra octo dies qui immediate praecedunt diem cui indulgentia fuit affixa; communio autem in pervigilio ejusdem diei; utraque vero etiam intra subsequentem totam octavam. Can. 931, 1.

136. Christifideles qui solent nisi legitime impediantur, saltem bis in mense ad poenitentiae sacramentum accedere aut Sanctam Communionem in statu gratiae et cum recta piaque mente recipere quotidie, quamvis semel aut iterum per hebdomadam ab ea abstineant, possunt omnes indulgentias consequi, etiam sine actuali confessione quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret, exceptis indulgentiis sive jubilaei ordinarii et extraordinarii sive ad instar jubilaei. Can. 931, 3.

137. Indulgentiae coronis aliisve rebus adnexae tunc tantum cessant, cum coronae aliaeve res prorsus desinant esse vel vendantur. Can. 924, 2.

TITULUS XIII.

De Extrema Unctione

138. 1. Unctiones verbis, ordine et modo in libris ritualibus praescripto accurate peragantur; in casu autem necessitatis sufficit unica unctio in uno sensu seu rectius in fronte cum praescripta forma breviori, salva obligatione singulas unctiones supplendi, cessante periculo. Can. 947, 1.

2. Unctio renum semper omittatur. Can. 947, 2.

3. Unctio pedum ex qualibet rationabili causa omitti potest. Can. 947, 3.

3. In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non potest, nisi infirmus post susceptam unctionem convaluerit et in aliud vitae discrimen inciderit. Can. 940, 2.

TITULUS XIV

De Ordine.

139. 1. Nomina promovendorum ad singulos sacros ordines, exceptis religiosis a votis perpetuis sive solemnibus sive simplicibus, publice denuntientur in parceciali cujusque

ecclesia die festo de praecepto inter Missarum solemnia. (Can. 998.) Vide N. 210.

2. Pro clericis hujus dioeceseos titulus canonicus est titulus servitii dioeceseos. (Can. 981.)

3. Promovendus, qui in hac dioecesi simplex domicilium sine origine habet, ante ordinationem debet animum in dioecesi perpetuo manendi jurejurando, formula sequenti, firmare. (Can 956.)

Ego N. N. Dioeceseos Pittsburgensis domicilio simplici subjectus spondeo et juro, me animum habere perpetuo manendi in hac dioecesi, et ibi postquam ad Sacros Ordines promotus fuero, operam meam pro populi salute impensurum esse.

TITUTUS XV.

De Matrimonio

140. 1. Matrimonii promissio sive unilateralis sive bilateralis seu sponsalitia, est irrita pro utroque foro, nisi facta fuerit per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut loci Ordinario, vel duobus saltem testibus. Can. 1017, 1.

2. Si utraque vel alterutra pars scribere nesciat vel nequeat, ad validitatem id in ipsa scriptura adnotetur et alius testis addatur qui cum parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus scripturam subsignet. Can. 1017, 2.

141. 1. Parochus cui jus est assistendi matrimonio, opportuno antea tempore, diligenter investiget num matrimonio contrahendo aliquid obstet.

2. Tum sponsum tum sponsam etiam seorsim et caute interroget num aliquo detineantur impedimento an consensum libere praesertim mulier praestent et an in doctrina christiana sufficienter instructi sint, nisi ob personarum qualitatem haec ultima interrogatio inutilis appareat. Can. 1020.

142. Nisi baptismus collatus fuerit in ipso suo territorio parochus exigat baptismi testimonium ab utraque parte, vel a parte tantum catholica, si agatur de matrimonio contrahendo cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus. Can. 1021, 1.

143. 1. Urgente mortis periculo, locorum Ordinarii ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis, possunt super forma in matrimonii celebratione ser-

vanda, tum super omnibus et singulis impedimentis juris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio, dispensare proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes, remoto scandalo, et, si dispensatio concedatur super cultus disparitate aut mixta religione, praestitis consuetis cautionibus. Can. 1043.

2. In eisdem rerum adjunctis de quibus in Can. 1043, et solum pro casibus in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, eadem dispensandi facultate pollet tum parochus tum sacerdos qui matrimonio ad normam Can. 1098, No. 2, assistit, tum comfessarius, sed hic pro foro interno in actu sacramentalis confessionis tantum. Can. 1044.

3. Possunt Ordinarii locorum sub clausulis in fine Can. 1043, statutis, dispensationem concedere super omnibus impedimentis de quibus in cit. can. 1043, quoties impedimentum detegatur cum omnia jam sunt parata ad nuptias nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo differri possit usque dum a Sancta Sede dispensatio obtineatur.

4. In iisdem adjunctis, eadem facultate gaudent omnes de quibus in Can. 1044, sed solum pro casibus occultis in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit vel nonnisi cum periculo violationis secreti. Can. 1045. 1, 3.

5. Parochus aut sacerdos de quo in Can. 1044, de concessa dispensatione pro foro externo Ordinarium loci statim certiorem faciat; eaque adnotetur in libro matrimoniorum. Can. 1046.

144. 1. Dispensatio a minore impedimento concessa, nullo sive obreptitionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi causa unica finalis in precibus exposita falsa fuerit. Can. 1054.

2. **Notandum:** Impedimenta gradus minoris sunt:

a) Consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis.

b) Affinitas in secundo gradu lineae collateralis.

c) Publica honestas in secundo gradu.

d) Cognatio spiritualis.

e) Crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum. Can. 1042.

TITULUS XVI.

De Impedimentis Dirimentibus

145. Vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum item completum, matrimonium inire non possunt. Can. 1067, 1.

Nota: In antiqua lege matrimonium puberum validum habebatur. Pubertas autem ex antiqua lege habebatur pro feminis anno duodecimo expleto; pro maribus expleto anno decimo quarto.

146. In linea collaterali consanguinitatis irritum est matrimonium usque ad tertium gradum inclusive, ita tamen ut matrimonii impedimentum toties tantum multiplicetur quoties communis stipes multiplicatur. Can. 1076, 2.

147. Affinitas in linea collaterali dirimit matrimonium usque ad secundum gradum inclusive. Can. 1077, 1.

148. Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido, sive consummato sive non, et ex publico vel notorio concubinatu; et nuptias dirimit in primo et secundo gradu lineae rectae inter virum et consanguineos mulieris, ac vice versa. Can. 1078.

149. 1. Ea tantum spiritualis cognatio irritat matrimonium de qua in Can. 768. Can. 1079.

2. Ex baptismo spiritualem cognationem contrahunt cum baptizato baptizans et patrinus. Can. 768.

150. 1. Ad matrimonium valide contrahendum necesse est ut contrahentes sint praesentes sive per se sive per procuratorem.

2. Sponsi matrimonii consensum exprimant verbis, nec aequipollentia signa ipsis licet adhibere, si loqui possunt. Can. 1088.

151. 1. Quum SS. Cong. Officii occasione concessae dispensationis super matrimonio mixto aliisque impedimentis specialem imposuerit taxam, necesse est titulo expensarum in posterum exigere quinque scutata ($5.00).

2. Si autem taxa illa praedicta non fuerit prius soluta dispensatio nequaquam, nisi in forma pauperum petita, concedetur.

152. 1. Matrimonii publica denuntiatio seu publicationes matrimoniales pro omnibus etiam neo conversis Catholicis nuptias inituris, faciendae sunt.

2. Pro neo-conversis qui infra triginta dies post baptismum collatum matrimonium inire velint, astante ratione sufficienti, dispensatio a bannis gratis concedetur.

153. Neque ad Cancellarium neque ad episcopum subjecti dispensationis sunt mittendi sine vera necessitate ut personaliter verbaliterque legis favorem petant. Si tamen necessitas revera urget, subjecti dispensationem petentes litteris a parocho editis de natura impedimenti et de rationibus canonicis esse debent roborati atque muniti.

TITULUS XVII.

De Forma Celebrationis Matrimonii

154. Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus. Can. 1094.

155. Subsunt excommunicationi latae sententiae Ordinario reservatae catholici:

1. Qui matrimonium ineunt, (attentant), coram ministro acatholico contra praescriptum can. 1063, 1.

2. Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra ecclesiam Catholicam. Can. 2319.

156. Absolutio taliter excommunicatis qui scandalum publicum dederunt a delegato in foro externo et in coetu fidelium impertienda est. In casibus publicis, reparatio scandali, ante absolutionem, per publicas preces coram fidelibus in ecclesia fieri debet, sive preces ante cancellos altaris effundendo sive viam crucis peragendo.

157. Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio assistunt:

1. A die tantummodo adeptae canonicae possessionis beneficii ad normam can 334, 3; 1444, 1, vel initi officii nisi per sententiam fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio aut tales declarati.

2. Intra fines dumtaxat sui territorii; in quo matrimoniis nedum suorum subditorum sed etiam non subditorum valide assistunt.

3. Dummodo neque vi neque gravi metu constricti requirant excipiantque contrahentium consensum. Can. 1095.

158. 1. Parochus et loci Ordinarius qui matrimonio possunt valide assistere, possunt quoque alii sacerdoti li-

centiam dare ut intra fines sui territorii matrimonio valide assistat. Can. 1095.

2. Licentia assistendi matrimonio concessa ad normam can. 1095, 2, dari expresse debet sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt; secus irrita est. Can. 1096.

159. 1. Parochus autem vel loci Ordinarius matrimonio licite assistunt:

a) Constito sibi legitime de libero statu contrahentium.

b) Constito insuper de domicilio, vel quasi domicilio vel menstrua commoratione aut si de vago agatur, actuali commoratione alterius in loco matrimonii.

2. In quolibet casu pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi justa causa excuset.

3. Quoties de matrimonio mixto ineundo agitur, licebit pastori Catholicae partis vel loci, ubi sponsa acatholica deget, operam suam praestare.

4. Parochus qui sine licentia jure requisita matrimonio assistit, emolumenta stolae non facit sua eaque proprio contrahentium parocho remittat. Can. 1097, 1, 2, 3.

160. Solemnem benedictionem ille tantum sacerdos per se ipsum vel per alium dare potest, qui valide et licite matrimonio potest assistere. Can. 1101, 2.

161. 1. Nullum matrimonium fidelium celebrari debet nisi banna antea ter publicata sint.

2. Quando partes contrahentes domicilium habent in diversis paroeciis, pastoris, qui matrimonium est benedicturus, providere erit ut bannorum proclamatio fiat etiam in ecclesia alterius contrahentis, quae quidem obligatio non est fidelibus matrimonium contracturis relinquenda. Hoc vero in casu sacerdos non benedicat matrimonium, quin prius certior factus sit litteris a pastore alterius contrahentis quod nullum existat impedimentum.

3. Si autem sacerdoti matrimonium benedicturo necessarium videatur dispensationem a bannorum publicatione obtinere, supplicationem in scriptis faciat, rationes omnes manifestans ob quas haec dispensatio concedenda esse videatur, quam supplicationem ad Cancellarium Nostrum transmittat.

4. Ut nimiae facilitati quaerendi dispensationes a bannorum promulgatione occurratur, qui unam promulgationem omitti voluerint, duos aureos; qui duas promulgationes, tres aureos; qui omnes omitti desiderant, quinque aureos solvant. Summopere, tamen cupimus ut lex ecclesiastica adamussim servetur atque graviter oneramus conscientiam sacerdotum ne absque vera necessitate dispensationem in matrimoniis mixtis et bannorum promulgatione postulent. Petitiones pro dispensationibus fiant in scriptis, juxta formulas probatas, et dentur, si nihil obstat:

a) nomen et cognomen oratorum sine ulla literarum abbreviatione,

b) rationes canonicae sub poena nullitatis;

c) si agatur de matrimonio mixto, declarandum est utrum pars acatholica sit baptizata. Pro singulis dispensationibus in matrimoniis mixtis taxam quinque scutatorum ($5.00) imponimus.

162. 1. Matrimonium inter Catholicos semper in ecclesia et ante meridiem, et, in quantum fieri potest, cum missa pro sponso et sponsa, celebretur.

2. Nunquam liceat celebrare matrimonium post meridiem cum musica aliaque solemnitate.

Deleted by Synod 1939

3. Ad praecavenda scandala prohibemus celebrationem matrimonii in Sabbato nisi necessitas aliud persuaserit.

163. 1. Sacerdotes fideles a mixtis nuptiis, quantum possunt, absterreant.

2. Etsi ab Ecclesia obtenta sit dispensatio super impedimento mixtae religionis, conjuges nequeunt, vel ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, adire quoque, sive per se sive per procuratorem, ministrum acatholicum uti sacris addictum ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum.

3. Si parochus certe noverit sponsos hanc legem violaturos esse vel jam violasse, eorum matrimonio ne assistat. Can. 1063, 1064.

4. Sacerdotes omnes, quantum in se erit, curabunt ut in matrimoniis mixtis apostolicae Sedis decreta sancte serventur. Priusquam igitur, sacerdos matrimonio mixto assistat, necesse est ut et pars acatholica in doctrina Christiana Catholica instruatur, et ante matrimonium, coram uno saltem teste, scriptis acceptaverit conditiones ab ecclesia praescriptas, easque fideliter servandas promiserit.

5. Post celebratas mixtas nuptias, parochi gravi conscientiae onere se gravari sciant invigilandi ut promissae a conjugibus conditiones observentur et effectum sortiantur.

164. Iis omnibus, qui matrimonio conjuncti sunt praecipimus, ne inconsulta auctoritate ecclesiastica, tribunalia civilia adeant ad obtinendam separationem a thoro et mensa. Quod si quis attentaverit sciat se gravem reatum incurrere et pro Episcopi judicio puniendum esse.

165. 1. Celebrato matrimonio parochus vel qui ejus vices gerit, quamprimum describat in libro matrimoniorum nomina conjugum et testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia secundum modum in libris ritualibus et a proprio Ordinario praescriptum; idque, licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit. Can. 1103, 1.

2. Praeterea ad norman can. 470, 2, parochus in libro quoque baptizatorum adnotet conjugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Quod si conjux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se sive per curiam episcopalem transmittat ut matrimonium in baptizatorum librum referatur. Can. 1103, 2.

Caput VI

TITULUS I.

De Sacramentalibus

166. 1. Salvo praescripto can. 1056 et can. 1234, pro variis actibus jurisdictionis voluntariae vel pro exsecutione rescriptorum Sedis Apostolicae vel occasione ministrationis Sacramentorum vel Sacramentalium nulla taxa exigenda est. Can. 1507, 1.

167. Diebus Dominicis ante missam paroecialem (vulgo "High Mass" dictam) ritus "Asperges me" ut in Missali Romano traditus semper perficiatur.

168. Benedictio mulieris post partum in ecclesia semper impertiatur nisi mortis periculum vel grave incommodum illam domi dari requirat.

169. Quotannis dedicatio totius dioeceseos ad SS. Cor. Jesu modo solemniori iteretur in Festo SS. Cordis vel intra octavam. (Vide actum consecrationis in Appendice No. 274.)

Caput VII

DE LOCIS ET TEMPORIBUS SACRIS

TITULUS I.

De Sepultura

170. Sepultura ecclesiastica consistit in cadaveris translatione ad ecclesiam, exsequiis super illud in eadem celebratis, illius depositione in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis. Can. 1204.

171. 1. Omnibus licet nisi expresse jure prohibeantur, eligere ecclesiam sui funeris aut coemeterium sepulturae. Can. 1223, 1.

2. Ecclesiam funeris aut sepulturae coemeterium eligere prohibentur:

a) Impuberes; verum pro filio aut filia impubere etiam post eorum mortem hanc electionem facere possunt parentes vel tutor.

b) Religiosi professi non tamen si sint Episcopi. Can. 1224.

172. 1. Qui exsequias in ecclesia peregit, non solum jus sed etiam officium habet, excepto gravi necessitatis casu, comitandi per se vel per alium sacerdotem cadaver ad locum sepulturae. Can. 1231, 2.

2. Canones jubent fidelium corpora in locis sacratis reponenda; quapropter si contigerit, ea mandari sepulturae in coemeterio sectarum vel alias extra coemeteria Catholica, iis in locis ubi habentur, prohibemus ne ritus funebres peragantur sive publice, sive privatim, sine licentia episcopi.

173. Expleta tumulatione, minister in libro defunctorum describat nomen et aetatem defuncti, nomen parentum vel conjugis, tempus mortis, quis et quae sacramenta ministraverit, locum et tempus tumulationis. Can. 1238.

174. 1. Ad sepulturam ecclesiasticam non sunt admittendi qui sine baptismo decesserint.

2. Catechumeni qui nulla sua culpa sine baptismo moriantur, baptizatis accensendi sunt.

3. Omnes baptizati sepultura ecclesiastica donandi sunt nisi eadem a jure priventur. Can. 1239.

175. 1. Ecclesiastica sepultura privantur nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa:

a) Notorii apostatae a christiana fide, aut sectae haereticae vel schismaticae aut sectae massonicae aliisve ejusdem generis societatibus notorie addicti.

b) Excommunicati vel interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam;

c) Qui se ipsi occiderint deliberato consilio;

d) Mortui in duello aut ex vulnere inde relato;

e) Qui mandaverint suum corpus cremationi tradi;

f) Alii peccatores publici et manifesti.

2. Occurente paredictis in casibus aliquo dubio consulatur, si tempus sinat, Ordinarius; permanente dubio, cadaver sepulturae ecclesiasticae tradatur ita tamen ut removeatur scandalum. Can. 1240.

4. Donates sepulturam ecclesiasticam infidelibus, apostatis, haereticis, schismaticis, aliisve sive excommunicatis sive interdictis, qui canone 1240, ecclesiastica se pultura privantur, excommunicationem vel interdictum contrahunt. Can. 2339.

176. Nunquam admittantur societates vel insignia religioni Catholicae manifeste hostilia in comitando funere. Can. 1233,2.

177. Districte prohibetur ne quis sepulturae vel exsequiarum seu anniversarii mortuorum causa quidquid exigat ultra taxam dioecesanam. Can. 1235. (Vide No. 105, 106.)

178. Florum usum ad ornatum feretri in exsequiis adultorum tanquam a mente ecclesiae alienum et spiritum hujus saeculi sapientem improbamus.

179. Volumus ut posthac feretrum in ecclesiae ingressu panno funebri cooperiatur.

180. 1. Ritus funebres in ecclesia paroeciali defuncti peragendos esse decernimus, nisi ejusdem ecclesiae rector licentiam alibi faciendi funus, in scriptis concesserit.

2. Qui sine consensu vel pastoris proprii aut venia Episcopi vel Vicarii Generalis exsequias super corpus ex aliena paroecia elatum celebraverit, honorarium occasione funeris acceptum eidem pastori reddere tenebitur totum, salvo tamen can. 1223, 1.

181. Meminerint rectores ecclesiarum sibi veram incumbere obligationem de coemeteriis Catholicis rite et decenter custodiendis, ne ex eorum conditione sordida aut neglecta fideles justam conquerendi causam habeant et suorum corpora in eis tumulare aversentur.

DUQUESNE UNIVERSITY LIBRARY

Caput VIII

DE CULTU DIVINO

TITULUS I.

De Musica Sacra

182. Musicae in quibus sive organo aliisve instrumentis sive cantu lascivum aut impurum aliquid misceatur, ab ecclesiis omnino arceantur; et leges liturgicae circa musicam sacram serventur. Can. 1264, 1.

183. Mandamus ut Missa, Vesperae et omnia alia officia sacra integre et juxta mentem ecclesiae, ordinem missalis et ritualis Romani, catalogum et regulas musicae ecclesiasticae pro dioecesi Pittsburgensi peragantur.

184. Curent etiam parochi ne alii praeter catholicos eosque probos, in choro canant aut organum pulsent quo melius abusus eliminentur, et divinae laudes debito honore persolvantur.

TITULUS II.

De Custodia SS. Eucharistiae

185. Sanctissima Eucharistia dummodo adsit qui ejus curam habeat et regulariter sacerdos semel in hebdomada missam in sacro loco celebret:

1. Custodiri debet in ecclesia cathedrali in qualibet ecclesia paroeciali vel quasi paroeciali et in ecclesia adnexa domui religiosorum exemptorum sive virorum sive mulierum.

2. Custodiri potest de licentia Ordinarii loci in ecclesia collegiata et in oratorio principali sive publico sive semi publico tum domus piae aut religiosae, tum collegii ecclesiastici quod a clericis saecularibus vel a religiosis regatur. Can. 1265, 1.

3. Ut in aliis ecclesiis seu oratoriis custodiri possit, necessarium est indultum apostolicum.

4. Nemini licet Sanctissimam Eucharistiam apud se retinere aut secum in itinere deferre. Can. 1265.

186. Curent ecclesiarum rectores ut altare in quo Sanctissimum Sacramentum asservatur sit prae omnibus aliis ornatum ita ut suo ipso apparatu magis moveat fidelium pietatem ac devotionem. Can. 1268, 4.

187. 1. Tabernaculum sit affabre exstructum, undequaque solide clausum, decenter ornatum ad normam legum liturgicarum, ab omni alia re vacuum ac tam sedulo custodiatur ut periculum cujusvis sacrilegae profanationis arceatur. Can. 1269, 2.

2. Clavis tabernaculi in quo Sanctissimum Sacramentum asservatur, diligentissime custodiri debet, onerata graviter conscientia sacerdotis qui ecclesiae vel oratorii curam habet. Can. 1269, 4.

188. Coram tabernaculo, in quo Sanctissimum Sacramentum asservatur, una saltem lampas die noctuque continenter luceat, nutrienda oleo olivarum vel cera apum; ubi vero oleum olivarum haberi nequeat, Ordinarii loci prudentiae permittitur ut aliis oleis commutetur, quantum fieri potest, vegetabilibus. Can. 1271.

189. 1. Hostiae consecratae, sive propter fidelium communionem, sive propter expositionem Sanctissimi Sacramenti, et recentes sint et frequenter renoventur, veteribus rite consumptis, ita ut nullum sit periculum corruptionis, sedulo servatis instructionibus, quas Ordinarius loci hac de re dederit. Can. 1272.

2. Hac in re cum maximi sit momenti, jubemus ut singulis octo diebus fiat renovatio Sanctissimi Sacramenti.

TITULUS III.

De Expositione SS. Sacramenti

190. 1. In ecclesiis aut oratoriis quibus datum est asservare Sanctissimam Eucharistiam, fieri potest expositio privata seu cum pyxide ex qualibet justa causa sine Ordinarii licentia; expositio vero publica seu cum ostensorio die festo Corporis Christi et infra octavam fieri potest in omnibus ecclesiis inter Missarum solemnia et ad vesperas; aliis vero temporibus nonnisi ex justa et gravi causa praesertim publica et de **Ordinarii loci licentia**, licet ecclesia ad religionem exemptam pertineat. Can. 1274, 1.

2. Ad majorem vero erga SS. Eucharistiam venerationem promovendam indulgemus ut Sanctissimum publice exponatur et benedictio cum eodem impertiatur:

a) Semel in die Dominica et festo de praecepto;

b) Bis in qualibet hebdomada Quadragesimae;

c) Bis in qualibet hebdomada mensis Maii;

d) Semel in unaquaque feria sexta mensis Junii;

e) Semel prima feria sexta omnis mensis;

f) Quotidie in missionibus et exercitiis spiritualibus;

g) Quotidie in triduanis et novendialibus precibus ante Pentecostes, Immaculatae Conceptionis, Sancti Joseph, Sanctissimi Cordis et Patroni ecclesiae festa, ubi hae functiones peraguntur.

h) Quotidie mensis Octobris quando Rosarium, Litaniae B. M. V. et Oratio ad Sanctum Joseph vespere recitantur.

3. Monemus, praeterea, expositionem ita faciendam, ut etiam ritu externo tanto Sacramento concilietur debita reverentia: propterea et cereorum numerus et thurificatio et pluvialis cum stola et superpelliceo indumentum non sunt negligenda.

191. 1. Paramenta Officiatoris et Ministrorum sint albi coloris. Si vero Benedictio vel processio SS. Sacramenti immediate cum Missa vel Officio conjungatur, ita ut Celebrans ab Altari non recedat, et Benedictio (etiamsi interponantur cantus Litaniarum) non habeatur tamquam functio omnino separata et distincta, retinetur idem color, modo niger non sit.

2. Velum semper album esse debet.

3. Post Missam deponitur manipulus et casula (convenienter ad scamnum), et assumitur pluviale coloris Missae; Ministri, si adsunt, pariter deponunt manipulos.

192. In una eademque die atque in eadem ecclesia non licet, sine licentia Episcopi, pluries cum SS. Sacramento benedicere populo.

193. Devotionem quae Quadraginta Horarum vocatur in omnibus hujus Dioeceseos ecclesiis servari cupimus. Hac occasione fideles ad debitam erga SS. Sacramentum devotionem ac venerationem sunt excitandi. Aliorum sacerdotum opera invocata, ut omnes tunc ad peccata sua confitenda atque sacram Synaxim percipiendam adducantur, hortamur.

TITULUS IV.

De Processionibus

194. 1. Prohibemus processiones religiosas fieri per vias sine speciali Nostra licentia prius in scriptis habita.

2. Religiosi etiam exempti nequeunt extra suas ecclesias et claustra processiones ducere sine Ordinarii licentia, salvo praescripto can. 1291, 2. Can. 1293. (Vide No. 70, de societatum processionibus.)

Caput IX

DE MAGISTERIÔ ECCLESIASTICO

TITULUS I.

De Catechetica Institutione

195. Proprium ac gravissimum officium, pastorum praesertim animarum, est catecheticam populi christiani institutionem curare. Can. 1329.

196. 1. Debet parochus:

a) Statis temporibus, continenti per plures dies institutione, pueros ad sacramenta poenitentiae et confirmationis rite suscipienda singulis annis praeparare.

b) Peculiari omnino studio, praesertim, si nihil obsit, Quadragesimae tempore, pueros sic instituere ut sancte Sancta primum de altari libent. Can. 1330.

2. Praeter puerorum institutionem de qua in Can. 1330, parochus non omittat pueros, qui primam communionem recenter receperint, uberius ac perfectius catechismo excolere. Can. 1331.

3. Ut omnia in his canonibus contenta praescripta religiose observentur, jubemus ut quotidie per aliquod tempus parvuli scholam catholicam frequentantes in catechismo et historia sacra instruantur.

Diebus Dominicis omnes liberi, qui annum decimum quintum nondum expleverint in scientia religiosa a parocho vel, eo impedito, a vicario cooperatore imbuantur. Haec instructio danda est tempore determinato, nec tempus determinatum mutandum est sine gravi ratione.

4. Pro iis liberis autem qui scholas publicas et acatholicas frequentant praeter diem Dominicam detur quoque instructio religiosa die et hora magis apta, saltem semel per hebdomadam.

5. Sollicite exhortamur sacerdotes ut in missionibus paroeciae adnexis quae semel vel bis in mense visitantur horis determinatis pueros in catechismo instituant.

197. Jubemus, porro, ut diebus Dominicis in una praesertim pro liberis Missa quolibet trennio totus catechismus ita explicetur ut primo anno puncta fidei substantialia in Symbolo Apostolico contenta; secundo anno, praecepta decalogi et ecclesiae; tertio vero anno doctrina de sacramentis et oratione tradantur.

198. Per triduum autem ante communionem tum exercitationibus piis, tum generali potissimum confessione, praeparentur ad illam; ipsa vero die solemnitate maxima Divinum panem sumant, cuncto populo spectante.

TITULUS II.

De Sacris Concionibus

199. Tum clericis e clero saeculari, tum religiosis non exemptis facultatem concionandi pro suo territorio solus concedit loci Ordinarius. Can. 1337.

200. 1. Sacerdotes extradioecesani sive saeculares sive religiosi ad concionandum ne invitentur, nisi prius licentia ab Ordinario loci in quo concio habenda sit, obtenta fuerit; hic, autem, nisi eorum idoneitatem aliunde compertam habeat, licentiam ne concedat, nisi prius bonum testimonium super concionatoris doctrina, pietate, moribus a proprio ejusdem Ordinario habuerit. Can. 1341, 1.

2. Licentiam **tempestive** petere debet parochus, si agatur de paroeciali ecclesia aliave eidem subjecta. Can. 1341, 2.

201. Si coram SS. Sacramento solemniter super altari exposito concio habeatur, apponendum est velamen ante SS. Eucharistiam. S. C. R. 3728, 2.

202. Concionari in ecclesia vetantur laici omnes etsi religiosi. Can. 1342, 2.

203. 1. Diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto proprium cujusque parochi officium est, consueta homilia, praesertim intra Missam, in qua major soleat esse populi frequentia, verbum Dei populo nuntiare.

2. Parochus huic obligationi nequit per alium habitualiter satisfacere, nisi ob justam causam ab Ordinario probatam. Can. 1344.

204. In sacris concionibus exponenda in primis sunt quae fideles credere et facere oportet. Can. 1347, 1.

205. 1. Ne nostris diebus periculorum plenis fideles ignorantia fidei aeternae perditionis discrimini objiciantur praeprimis jubemus ut diebus dominicis et festis solemnibus, etiam aestivo tempore, omnes qui curam habent animarum per se aut si legitime impediti fuerint per alios idoneos inter celebrationem omnium omnino Missarum paroecialium quibus fideles adstant, sive illae Missae sint cantatae sive lectae, vel etiam valde mane celebrentur, Evangelium diei oc-

curentis lingua vernacula distincte legant, atque si tempus patiatur per duodecimam horae partem, populum in lege Domini erudiant. Sermo vero proprie dictus in ultima Missa habeatur.

2. Maxime sacerdotibus Nostris commendamus ut aliquando praecipuas totius doctrinae christianae partes continua fere serie sermonum exponant. Omnes sese diligenter pro singulis concionibus praeparent; juniores autem monitos habere volumus ut conciones integras scribant etiamsi ad verbum eas memoriae non mandent.

206. 1. Ad multa evitanda mala statuimus ut sacerdotes in verbi divini praedicatione non utantur verbis acribus et injuriosis, et praecipue caveant ne in vitiis denuntiandis personae nominentur aliterve designentur; si vero aliquando contigit quod sint vel queralae, vel dissensiones omnino prohibemus quominus occasionem praedicationis verbi Dei accipiant ad loquendum in suam justificationem vel condemnationem aliorum. Attamen si gloria Dei vel honor sacerdotalis vel bonum ecclesiae exigat ut sacerdos se justificet coram populo, locum alium aliudque tempus ad hoc eligat.

2. Vetamus ne sacerdotes inter concionandum vel occasione concionis, vel quovis alio praetextu a suggestu vel altaris loco, de suis reditibus, honorariis, stipendiis, collectis Dominicis, aliisve hujusmodi ad populum saepe saepius verba faciant.

3. Elogia funebria vel conciones funebres prohibentur.

TITULUS III.

De Sacris Missionibus

207. Constituimus quosdam hujus ditionis sacerdotes Commissionem et Apostolatum pro missionibus et pro acatholicis et pro colonis et advenis in hac dioecesi degentibus. Eorum erit vias et media exquirere ut meliori modo praesertim advenarum ex quacumque natione in hanc dioecesim confluentium saluti aeternae ac bono spirituali provideatur.

208. Vehementer cupimus ut in unaquaque paroecia quolibet quinquennio una saltem missio pro populo habeatur.

TITULUS IV.

De Seminaristis

209. 1. Maximi momenti est juvenes numerosos educare et instituere in disciplinis ecclesiasticis ad subveniendum

necessitatibus fidelium—in dies semper crescentibus—in hac Nostra ampla dioecesi.

2. Quapropter parochos ceterosque sacerdotes hortamur in Domino et enixe rogamus ut diligenter animum intendant ad inquirendos dignoscendosque inter pueros sub eorum cura constitutos qui ad clericalem statum idonei et vocati videantur ut illorum vocationem foveant, eosque ad doctrinam et pietatem informent, atque ad ingrediendum statum clericalem praeparent.

3. Quum clerici et sacerdotes bene morati sint maximum donum Dei, imprimis enixe rogandus est ipse Deus, qui est Dominus messis, ut operarios idoneos et fideles in messem suam mittat.

210. 1. Nomina promovendorum ad singulos sacros ordines, exceptis religiosis a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus, publice denuntientur in paroeciali cujusque candidati ecclesia; sed Ordinarius pro sua prudentia potest tum ab hac publicatione dispensare ex justa causa, tum praecipere ut in aliis quoque ecclesiis peragatur, tum publicationi substituere publicam ad valvas ecclesiae affixionem per aliquot dies, in quibus unus saltem dies festus comprehendatur.

2. Publicatio fiat die festo de praecepto in ecclesia inter Missarum sollemnia aut alia die et hora quibus major populi frequentia in ecclesia habeatur.

3. Si sex intra menses candidatus promotus non fuerit, repetatur publicatio, nisi aliud Ordinario videatur. Can. 998.

TITULUS V.

De Scholis

211. Vehementer hortamur parochos Nostrae dioeceseos ut nullum non moveant lapidem ut juniores in fide instruantur et spiritu religionis imbuantur. Curent ut doctrina christiana instruantur, ut in bonis moribus educentur, ut sacramenta frequentent a teneris annis, et alia omnia boni christiani officia peragere discant.

212. 1. Fideles omnes ita sunt a pueritia instituendi ut non solum nihil eis tradatur quod Catholicae religioni morumque honestati adversetur, sed praecipuum institutio religiosa ac moralis locum obtineat.

2. Non modo parentibus ad norman Can. 1113, sed etiam omnibus qui eorum locum tenent, jus et gravissimum officium est curandi christianam liberorum educationem. Can. 1372, 1, 2.

213. 1. In qualibet elementaria schola, pueris pro eorum aetate tradenda est institutio religiosa. Can. 1373, 1.

2. Totum onus pueros instituendi ludimagistris vel religiosis minime potest imponere pastor, quippe qui agnos aeque ac oves gregis sui pascere tenetur. Scholam igitur semel saltem in hebdomada visitare, parvulis recitantibus adesse, quaesita proponere, meritos commendare, segniores excitare, et praesertim catechismum explicare ipse et vicarius sacerdos debent.

3. Juventus, quae medias vel superiores scholas frequentat, pleniore religionis doctrina excolatur. Can. 1373, 2.

214. 1. Pueri catholici scholas acatholicas, neutras, mixtas, quae nempe etiam acatholicis patent ne frequentent. Solius autem Ordinarii loci est discernere, ad normam instructionum Sedis Apostolicae, in quibus rerum adjunctis et quibus adhibitis cautelis, ut periculum perversionis vitetur, tolerari possit ut eae scholae celebrentur. Can. 1374.

2. Hisce canonibus innitentes quatuor sequentia discernimus:

a) Prope unamquamque ecclesiam scholam paroecialem satis amplam ubi nulla existit, infra duos annos fundandam esse atque deinceps sustentandam, nisi Nos ob alicujus missionis paupertatem vel aliam gravissimam causam, dilationem concedamus.

b) Pastorem praecedenti negligentem obtemperare statuto et a Nobis monitum, remotionem ab illa ecclesia sine alia causa mereri.

c) Missionem vel paroeciam quae sacerdotem in erigenda vel sustentanda schola adjuvare ita negligat, ut ob hanc supinam negligentiam schola existere non possit, a Nobis esse reprehendendam ac quibus efficacioribus et prudentioribus modis, inducendam ad necessaria subsidia conferenda.

d) Omnes parentes Catholicos prolem suam ad scholas Catholicas sub gravi mittere teneri, nisi domi christianae filiorum suorum educationi sufficienter et evidenter consulant, aut ob causam sufficientem, a Nobis approbatam, et cum opportunis cautionibus remediisque ad alias scholas mittere ipsis liceat.

215. Parentes Catholici qui liberos suos scholas non catholicas frequentare sine licentia Nostra permittant, peccatum grave patrasse sunt habendi et absolutio eis est deneganda donec resipuerint.

216. 1. Ut habiles ac periti adhibeantur ludimagistri et magistrae, statuimus ac mandamus ut nemo in posterum ad munus docendi in schola paroeciali admittatur a pastore nisi qui praevio examine se habilem et idoneum probaverit.

2. Cujus decreti ut finem securius assequamur, plures nominavimus sacerdotes qui Dioecesanam Commissionem Examinationum constituunt, quorumque erit omnes personas, religiosas aeque ac seculares, officio docendi in scholis paroecialibus fungi cupientes, examini subjicere. Tempus, locum, materiam aliaque omnia ad examen spectantia, Nobis approbantibus statuet Commissio.

3. Et aliam designavimus Commissionem, sacerdotes nempe qui cum aliquibus laicis, si lubet, in rebus scholasticis bene versatis, ex quibus vel duo singulas scholas paroeciales in plagis statutis saltem semel in anno visitent, et relationes annuas de scholarum earumdem statu ad Commissionis praesidem transmittant, cujus cura relata omnia coram tota Commissione poni debent ante finem mensis Junii.

4. Hujus Commissionis etiam erit "Moderatorem" scholarum, libros, regulas, et omnia alia ad bonum scholarum et educationis spectantia proponere, et, Nobis approbantibus, statuere et efficere. Commissio et "Moderator" scholarum Nobis annuam relationem reddere debent.

217. Ut omnes fideles ac praesertim parentes, ecclesiae mentem et disciplinam de scholis Catholicis intelligant, et sic ad officia sua in hac gravissima re implenda facilius inducantur, decernimus quod omnis animarum pastor, semel saltem in anno, praedicabit de juventute recte ac christiane instituenda concionem, in qua Canones Codicis, et statuta hujusce Synodi hanc rem tractantia clare explicabit.

218. Ubicumque satis amplae sint ecclesiae facultates, omnibus paroeciae parvulis patere debet, quin ulla exigatur taxa, schola paroecialis. In missionibus etiam pauperioribus, egenorum pueri sine solutione quacumque ad scholam admitti semper debent.

TITULUS VI.

De Professione Fidei

219 1. Obligatione emittendi professionem fidei, secundum formulam a Sede Apostolica probatam, inter alios, tenentur:

a) Coram praeside ejusve delegato qui Synodo dioecesanae intersunt; praeses autem coram eadem Synodo.

b) Coram loci Ordinario eiusve delegato et coram aliis consultoribus, assumpti ad officium consultorum dioecesanorum.

c) Coram loci Ordinario ejusve delegato, Vicarius Generalis, parochi et ii quibus provisum fuit de beneficiis quibusvis, etiam manualibus, curam animarum habentibus; rector, professores sacrae theologiae, juris canonici et philosophiae in Seminariis, initio cujuslibet anni scholastici vel saltem initio suscepti muneris; omnes promovendi ad ordinem subdiaconatus; librorum censores, de quibus in Can. 1393; sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri concionatores antequam facultate donentur ea munia exercendi.

2. Qui, priore dimisso aliud officium vel beneficium etiam ejusdem speciei consequuntur, rursus debent fidei professionem emittere ad normam hujus canonis. Can. 1406.

Caput X

TITULUS I.

De Bonis Ecclesiae Administrandis

220. Ecclesiae jus quoque est, independens a civili potestate, exigendi a fidelibus quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum aliorumque ministrorum sustentationem et ad reliquos fines sibi proprios sint necessaria. Can. 1496. Ergo Christifideles Ecclesiam in genere et in particulari, ecclesiam suam paroecialem sustinere tenentur.

221. A tempore Constantini imperatoris ab omnibus humanis, cultisque gubernationibus agnita fuit juridica personalitas Ecclesiae Catholicae, ejusdem jus acquirendi, possidendi, administrandi et transferendi suas possessiones.

222. 1. Hac in patria modus tenendi titulum ad bona ecclesiastica differt secundum leges diversorum Statuum; sed quocumque modo teneatur lex universalis Ecclesiae Catholicae tenet, Episcopum Dioeceseos esse custodem jurium et administratorem bonorum ecclesiasticorum.

2. Per quinquaginta annos et amplius Congregationes nostrae hac in dioecesi nominaverunt episcopum aedituum, (vulgo Trustee,) omnium bonorum suorum plena cum potestate iis utendi et ea administrandi pro populo juxta leges ecclesiasticas.

3. Lex Ecclesiae paucis his verbis enuntiari potest: Bona congregationis pertinent ad totam paroeciam uti par-

tem totius Ecclesiae et sub ejusdem jurisdictione. Bona ecclesiastica nec ad individuam personam nec ad individuas personas pertinere possunt. Pertinere, porro, debent ad ecclesiam irrevocabiliter, atque Episcopus est solus legitimus aedituus, ("Trustee,") custos et administrator bonorum ecclesiasticorum in ditione sua.

4. Quaelibet congregatio vel paroecia dioeceseos Pittsburgensis uti corpus juridicum vel uti quasi corpus juridicum cum episcopo uti aedituo, capite et administratore habet dominium bonorum suorum et ab ea reddenda est ratio pro aere alieno et omnibus in lege obligationibus. Ideo omnia instrumenta pro bonis ecclesiasticis immobilibus (deeds of church property), jus et titulum ponere debent in congregatione cum Episcopo uti solo aedituo (sole trustee), plena potestate praedito iis bonis utendi eaque administrandi juxta leges Ecclesiae Catholicae.

223. 1. Universales Ecclesiae Canones vetant ne novum templum temere vel absque Episcopi auctoritate erigatur, ideo nemini licere declaramus in hac dioecesi de nova aedificanda ecclesia, aut de veteri novis structionibus amplificanda, statuere aliquid vel moliri absque facultate Nostra in scriptis.

2. Decernimus nulli presbytero licere, seclusa venia Ordinarii in scriptis data, nomine ac jure proprio retinere sive ecclesiam, sive scholam sive domum presbyteralem, sive coemeterium aut bona quaevis alia ecclesiastica, pro quorum acquisitione fideles qualicumque modo subsidia contulerint, sed in ipsum Ordinarium jus omne bonorum praedictorum quamprimum transferendum esse, salvis ceteroquin regularium privilegiis. Omnes, porro, tituli (deeds), proprietatum ecclesiasticarum in archivo dioecesano deponendi sunt.

3. Quinque sacerdotes experientia ac prudentia probatos Commissionem de Fundis Aedificiisque Investigandis constituimus, quorum erit fundos ad usum alicujus congregationis acquirendos et aedificiorum extruendorum lineamenta et descriptiones (plans and specifications), examinare, necnon, utrum congregatio tanta onera sustinere possit, investigare, consilium tantum hisce de rebus Nobis praestabunt, et annuas ratas a Nobis praefiniendas quae extinguendo debito sint destinatae determinabunt juxta Can. 1538.

224. 1. Si ecclesiae bona, legitima interveniente causa, oppignoranda vel hypothecae nomine obliganda sint, vel agatur de aere alieno contrahendo, legitimus Superior, qui ad norman can. 1532, licentiam dare debet, exigat ut antea

omnes, quorum interest, audiantur, et curet ut, quam primum fieri poterit, aes alienum solvatur.

2. Hac de causa **annuae ratae** ab eodem Ordinario praefiniantur quae extinguendo debito sint destinatae. Can. 1538, 1, 2.

225. Praecipimus sub poena suspensionis ne quis parochus deposita mutua pecuniae (loans or deposits), quingentos aureos ($500.00) superantia recipiat; aut infra annum debita talem summam attingentia contrahat aut supra tali summa pro expensis extraordinariis expendat nisi Episcopi veniam in scripts prius obtinuerit.

226. Tituli omnes (deeds) Cancellario dioecesano exhiberi debent antequam in tabulas publicas inscribantur; hac enim ratione ab erroribus praesertim legalibus servantur.

227. Nullus parochus in mensa nummularia (bank) ecclesiae pecunias suo solo nomine deponat, sed nomine respectivae ecclesiae et suo nomine, ut pastor vel aerarius. Nulli parocho porro licet propriam pecuniam ecclesiae suae usui mutuo conferre sine Episcopi licentia.

228. Absque nostro consensu in scriptis obtento et in archivis ecclesiae conservando nemini licet fundationes Missarum ad tempus diuturnum vel indefinitum accipere vel facere.

229. Parochi aedificia ecclesiastica et eorum supellectilem contra damnum ab incendiis profecturum in societatibus fide dignis ad nomen Episcopi plene tueantur.

TITULUS II

De Aedituis Seu Administratoribus Paroeciae

230. 1. Praeter dioecesanum Consilium administrationis Ordinarius loci in administrationem bonorum quae ad aliquam ecclesiam vel locum pium pertinent et ex jure vel tabulis fundationis suum non habent administratorem, assumat viros providos, idoneos et boni testimonii, quibus, elapso triennio, alios sufficiat, nisi locorum circumstantiae aliud suadeant. Can. 1521, 1.

2. Huic paescripto obsequentes, ut omnis suspicio et periculum avaritiae vel minus peritae administrationis rerum temporalium ecclesiae et odium quod in illis administrandis saepissime incurritur, a sacerdotibus procul removeantur, in unaquaque paroecia, quatuor saltem viros prudentes aedituos seu administratores nominabimus, quorum

consilio utatur parochus in administrandis rebus temporalibus ecclesiae.

3. Aeditui seu administratores unoquoque triennio, mense Decembri, a qualibet paroecia ex nominibus a rectoribus propositis eligantur. Proponere autem debet parochus nomina eorum virorum, qui bona fama gaudent, praecepto paschali satisfecerunt, sedes ipsis necessarias in propriis ecclesiis conduxerunt, et pretium pro iis solverunt, aut alio modo ad sustentationem propriae ecclesiae contribuerunt, nulli societati prohibitae nomen dederunt, prolemque suam in scholis Catholicis ubi talis existit schola, educandam minime neglexerunt. Pro unoquoque administratore proponet duo vel tria nomina parochus.

4. Quum autem, morte renuntiatione vel alia quacunque causa in administratorum coetu numerus deficiat novus ab episcopo approbandus administrator tantummodo ex nominibus a parocho propositis a reliquis aedituis seligatur.

5. Prius quam munus suscipiant ab Ordinario sunt in scriptis approbandi sed manent amovibiles pro justa causa ad ejusdem nutum.

231. Antequam administratores bonorum ecclesiasticorum suum munus ineant:

1. Debent se bene et fideliter administraturos coram Ordinario loci vel vicario foraneo jurejurando cavere;

2. Fiat accuratum et distinctum inventarium, ab omnibus subscribendum, rerum immobilium, rerum mobilium pretiosarum, aliarumve cum descriptione atque aestimatione earundem; vel factum antea inventarium acceptetur, adnotatis rebus quae interim amissae vel acquisitae fuerint:

3. Hujus inventarii alterum exemplar conservetur in tabulario administrationis, alterum in archivo Curiae; et in utroque quaelibet immutatio adnotetur quam patrimonium subire contingat. Can. 1522, 1, 2, 3.

232. Administratores et pastor debent:

1. Vigilare ne bona ecclesiastica suae curae concredita quoquo modo pereant aut detrimentum capiant:

2. Pecuniam ecclesiae, quae de expensis supersit et utiliter collocari possit, de consensu Ordinarii, in emolumentum ipsius ecclesiae occupare;

3. Accepti et expensi libros bene ordinatos habere. Can. 1523, 1, 4, 5.

233. Praecipimus ut omnes sacerdotes curam alicujus paroeciae habentes inventarium ab administratoribus subscrip-

tum loco tuto conservent et curent ut in eo sequentia accurate adnotentur:

1. Immobilia omnia ad ecclesiam vel missionem pertinentia;

2. Paramenta et vasa sacra, necnon thecae reliquiarum, utensilia et cetera omnia cultui divino inservientia, quae valorem saltem decem scutatorum attingunt.

3. Chartae omnes assecurationis (Insurance policies), aedificia vel mobilia ecclesiae aut missionis contra incendium vel alia pericula protegentes; necnon nomina societatum a quibus obtentae sunt, earumdem valorem et diem exspirationis.

4. Debita hypothecata et omnia alia similia, quibus missio vel ecclesia quocumque modo oneratur.

5. Mobilia in domo pastorali vel ecclesia inventa earumdem usui inservientia quaeque pastor tamquam sua vindicare vult, accurate scriptis Cancellario Nostro designari debent; alias enim ut ad ecclesiam seu missionem pertinentia judicanda sunt. Singulis annis hoc inventarium recognoscatur, et catalogus addendorum, si quae sint, a rectore et curatoribus signatus, Cancellario una cum annua relatione transmittatur.

6. In altero libro (Cash Book), accurata descriptio omnium proventuum quorumlibet, necnon omnium expensarum habeatur. Hoc si quis neglexerit, sciat se amotioni ab officio suo obnoxium esse. Priusquam sacerdos aliquis ab ecclesia transferatur, libri computorum ab eo ac curatoribus in ordinem redigi, et a commissione ab Episcopo vel ab ejus delegato approbari debent, ut omnis fraudis suspicio vel scandali occasio praecaveatur. 273.

234. Cum autem jubemus parochos administratorum consilio uti, nolumus hos quidquam agere, parocho inconsulto aut renitente. Praeses vero et aerarii custos ex officio erit parochus nisi aliter disposuerit Ordinarius. Si aliqua controversia inter eos oriatur tota res Ordinarii judicio subjiciatur.

235. 1. Pecunia a qualibet Ecclesia pro Cathedratico, Seminario et Aerario Dioecesano quotannis solvenda ante primam diem Octobris Cancellario mittenda est.

2. Omnis collecta pro quacumque necessitate, ab Ordinario imperata, sub poena suspensionis intra triginta dies Cancellario vel personae a Nobis designatae transmitti debet.

236. Quotannis ante primam diem Februarii, relationem uniuscujusque missionis a prima die mensis Januarii usque ad diem trigesimam primam mensis Decembris, factam juxta schedulam antea a Cancellario transmissam et a Rectore ac Curatoribus subscriptam Nobis transmittere debet Rector, qui similem relationem coram congregatione, ante finem mensis Januarii legere tenetur.

TITULUS III.

De Modis Prohibitis Pecuniam Colligendi

237. Inter praecipuos modos pecunias ad pias causas colligendi prohibitos, sunt:

1. Praxis pecuniam exigendi ad fores ecclesiae Dominicis ac festis diebus ut quis ingredi possit ac sacrosancto Missae sacrificio interesse.

2. Inter Missarum sollemnia sacerdotem ab altari recedere aedemque sacram circumire et a singulis fidelibus eleemosynam petere.

238. Sub gravi prohibemus:

1. Conventus illos vulgo dictos "Picnics", "Excursions", "Lawn Fetes", et alios ejusmodi modi omnes, quocumque nomine appellentur, qui sub dio haberi solent, si usque in noctem protrahantur.

2. Ne ullus conventus publicus animi recreandi causa simulque lucri percipiendi permittatur tempore Quadragesimae, Adventus, vel in festis ac jejuniis de praecepto.

3. Potus inebriantis in festivitate qualibet sive populi ob recreationem concursu vel in lucrum ecclesiae aut Religionis habito, vel talis festivitatis occasione etiam in loco vicino venditionem vel donationem.

4. Nec culpam nec poenam suspensionis effugiet sacerdos qui, ut prohibitionem evadat, alios quidquam ex vetitis sub hoc facere vel directe vel indirecte permittat.

239. In obsequium Decreti S. C. Consist. die 31. Martii, 1916, decernimus sacerdotes quoslibet sive seculares sive regulares aliosque clericos prorsus prohiberi quominus choreas promoveant et foveant etiamsi in piorum operum levamen et subsidium, et insuper clericos omnes vetari, quominus hisce choreis intersint, si a laicis promoveantur, etsi fiant horis diurnis aut ea methodo quae vulgo appellari solet "Picnic."

240. 1. Sacerdotibus sive regularibus sive saecularibus, Fratribus et Sororibus cujuscumque ordinis vel societatis

religiosae nullo modo sine Nostra et pastoris loci venia scripto exprimenda, pecuniam in Nostra ditione liceat colligere, salvis semper mendicantium privilegiis papalibus.

2. Valde autem fidelium caritati commendamus Sorores Parvulas Pauperum necnon Boni Pastoris, eisque licentiam colligendi eleemosynas ubique in hac dioecesi libentissime concedimus.

Caput XI

DE CURIA

TITULUS I.

De Officiali Seu De Judice

241. Juxta can. 1573, nominavimus Officialem cum potestate ordinaria judicandi qui cum Nobis unum tribunal constituat, iis vero causis exceptis quas Nobismetipsis judicandas reservabimus. Huic Officiali coadjutores dari possunt quibus nomen erit Vice-officiales, sacerdotes periti et annos nati non minus triginta. Et Officiales et Vice-officiales ad nutum Episcopi amovibiles sunt.

2. Unicus judex in quolibet judicio duos assessores consulentes sibi adsciscere potest; quos tamen ex judicibus synodalibus eligere debet. Can. 1575.

242. 1. Causae contentiosae de vinculo sacrae ordinationis et matrimonii, vel de juribus aut bonis temporalibus cathedralis ecclesiae; itemque criminales in quibus res est de privatione beneficii inamovibilis aut de irroganda vel declaranda excommunicatione, tribunali collegiali trium judicum reservantur.

2. Causae vero quibus agitur de delictis quae depositionis, privationis perpetuae habitus ecclesiastici, vel degradationis poenam important, reservantur tribunali quinque judicum. Can. 1576, 1, 2. (Vide Canones 1577, 1578, 1579.)

TITULUS II.

De Judicibus Synodalibus

243. 1. Praescriptis can. 1574, constituimus duodecim Judices Synodales, qui potestate ab Episcopo delegata in litibus judicandis partem habebunt.

2. Quod ad eorum electionem, substitutionem, cessationem aut remotionem a munere attinet, serventur praescripta. Can. 385-388.

TITULUS III.

De Auditoribus

244. Auditores pro tribunali dioesesano, quantum fieri potest, deligantur pro qualibet causa ex judicibus synodalibus. Can. 1581.

245. Auditor in quovis litis momento ab officio removeri potest ab eo qui eundem elegit, justa tamen de causa et citra partium praejudicium. Can. 1583.

TITULUS IV.

De Promotore Justitiae Et Defensore Vinculi

246. Juxta praescriptum can. 1586, constituimus et promotorem justitiae pro causis tum contentiosis tum criminalibus, et defensores vinculi pro causis in quibus agitur de vinculo sacrae ordinationis aut matrimonii.

247. In causis in quibus eorum praesentia requiritur, promotore justitiae aut vinculi defensore non citato, acta irrita sunt, nisi ipsi, etsi non citati, revera interfuerint. Can. 1587, 1.

Caput XII

TITULUS I.

De Remotione Parochorum Inamovibilium

248. Parochus inamovibilis a sua paroecia amoveri potest ob causam, quae ipsius ministerium, etiam citra gravem suam culpam, noxium aut saltem inefficax reddit.

249. Hae causae sunt praesertim quae sequuntur:

1. Imperitia vel permanens infirmitas mentis aut corporis, quae parochum suis muneribus rite obeundis imparem reddit, si judicio Ordinarii, per vicarium adjutorem bono animarum provideri nequeat.

2. Odium plebis, quamvis injustum et non universale dummodo tale sit, quod utile parochi ministerium impediat nec brevi cessaturum praevideatur.

3. Bonae existimationis amissio penes probos et graves viros, sive haec oriatur ex levi vivendi ratione parochi

sive ex antiquo ejus crimine quod nuper detectum eximatur jam poena ob praescriptionem, sive ex facto familiarium et consanguineorum quibuscum parochus vivit nisi per eorum discessum bonae parochi famae sit satis provisum.

4. Probabile crimen occultum parocho imputatum, ex quo Ordinarius prudenter praevidet magnam in posterum oriri posse fidelium offensionem.

5. Mala rerum temporalium administratio cum gravi ecclesiae aut beneficii damno, quoties huic malo remedium afferri nequeat sive auferendo administrationem parocho, sive alio modo, quamvis aliunde parochus spirituale ministerium utiliter exerceat. Can. 2147, 1, 2, 3, 4, 5.

TITULUS II.

De Remotione Parochorum Amovibilium

250. 1. Parochus quoque amovibilis a sua paroecia amoveri potest ex justa et gravi causa ad norman can. 2147. Can. 2157, 1.

2. Faciliori et minori judiciali actione amovibilis parochus amoveri potest quam parochus inamovibilis. Vide can. 2337, 1 et 2.

TITULUS III.

De Translatione Parochorum

251. 1. Parochum inamovibilem Ordinarius amovere invitum nequit nisi speciales facultates a Sede Apostolica obtinuerit.

2. Parochus vero amovibilis si paroecia ad quam non sit ordinis nimio inferioris, etiam invitus transferri potest, servatis tamen praescriptis can. 2164, 2165, 2166, 2167. Can. 2163, 1, 2.

3. In translatione de qua in Can. 2162 et seq, Codicis Juris Canonici non requiritur concursus nec examen parochorum.

APPENDIX

DE RITIBUS.

1. Rituale Romanum Baltimori prolatum juxta Decretum Concilii Baltimorensis III. et ritus in eo praescriptos ab omnibus sacerdotibus in hac Dioecesi adhibendos esse jubemus; et contrarias consuetudines, si quae forsan alicubi in hac Dioecesi obtineant, abrogamus et nullius esse roboris decernimus.

2. Curent omnes Missalis et Ritualis Romani Rubricas accurate observare. Consuetudines autem quae his adversantur, quamvis in aliis regionibus vigeant, diligenter evitent. Ubi autem Rubricae nil sanciunt, conentur quantum possunt in publicis officiis uniformem agendi rationem prosequi, nec ulla exercitia publica praeter ea quae in Rituali et Missali praescripta sunt Nobis inconsultis in ecclesias inducant.

3. Caeremoniale ad usum ecclesiarum in his provinciis Baltimori typis mandatum, et ab Archiepiscopo Baltimorensi approbatum, vel Compendium Sacrae Liturgiae, auctore Rev. P. I. Wapelhorst, O. S. F., vel aliud a Nobis approbatum, ab omnibus in hac Dioecesi observandum esse jubemus.

De Fidelibus Graeco—Ruthenis

252. 1. Fideles Graeco Rutheni tenentur frequentare ac libenter sustentare suas proprias ecclesias, ac observare praescripta sui ritus: tamen ubi desunt ecclesiae ac sacerdotes proprii ritus, opus est ipsis Missam audire in ecclesia catholica alterius ritus, necnon Sacramenta accipere a presbytero alterius ritus.

2. Transitus ad Latinum ritum Ruthenis concedi nequit nisi a S. Congregatione de Propaganda Fide, audito Episcopo Graeco-Rutheno.

3. Non licet sacerdotibus ritus Latini, sub poenis ab Apostolica Sede decretis et decernendis, quempiam Ruthenum ad Latinum ritum amplectendum inducere.

4. Fideles Latini apud Sacerdotem Graeco-Ruthenum ab Ordinario suo approbatum, et Graeco-Rutheni apud Sacerdotem Latinum ab Episcopo suo approbatum, peccata sua confiteri et absolutionem valide et licite obtinere possunt.

A censuris et casibus reservatis non est absolvendum absque venia Ordinarii reservantis.

5. Omnibus fidelibus cujuscumque ritus datur facultas ut, pietatis causa, Sacramentum Eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiant, sed quisque Communionem

Paschalem suo ritu accipere debet; sed, urgente necessitate, fas est Communionem Paschalem, Sanctum Viaticum, et Extremam Unctionem a quolibet sacerdote accipere; qui tamen ritu suo ministrabit.

6. Matrimonia tum inter fideles Graeco-Ruthenos, tum inter fideles mixti ritus, servata forma decreti "Ne Temere" contrahi debent, ac proinde in ritu mulieris benedicenda sunt. Dispensationes in matrimoniis mixti ritus ab Episcopo sponsae petendae sunt.

7. Proles utriusque sexus ex parentibus diversi ritus in ritu patris baptizandus est et patris ritum omnino sequi debet.

(S. Cong. de Prop. Fide. Aug. 17, 1914.)

Formula Brevior Baptismi Sub Conditione Adultorum (ad libitum.)

253. 1. Adjuratio vel Professio Fidei (vide Rituale Romanum.)

2. Formula Brevior.

Sacerdos: N. N. Quid petis ab Ecclesia Dei?

Resp. Fidem.

Sacerdos: Credis in Deum Patrem omnipotentem. Creatorem coeli et terrae?

Resp. Credo.

Sacerdos: Credis et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum, et passum?

Resp. Credo.

Sacerdos: Credis et in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam aeternam?

Resp. Credo.

Sacerdos: Vis baptizari si non es valide baptizatus?

Resp. Volo.

Sacerdos: N. N. (Si non es baptizatus,) **Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.**

(Omnes aliae caerimoniae omittuntur.)

Decisiones et Declarationes Selectae. Circa Baptismum.

254. Infantes sive domi a laicis, sive ab haereticis baptizati, non sunt iterum baptizandi si non adsit probabile

dubium invaliditatis Baptismi. (S. C. C. 27 Mart, 1683. S. C. Ind. 17 Nov. 1830 et 20 Jul. 1840.)

Interrogationes quae in ordine Baptismi occurrunt, ac pro quibus formulae extant in Rituali, latine omnino fieri debent. (S. R. C. 12 Sept. 1857), postea in lingua vernacula fieri possunt. S. C. R. 5 Mar. 1904.

Sine rationabili causa ab Ordinario approbanda non licit Baptismum solemniter conferre in sacristia. S. R .C. 16 Mart. 1861.)

Circa SS. Eucharistiam.

255. Ad nutriendam Lampadem ante SS. Eucharistiae Sacramentum generatim utendum est oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat remittendum prudentiae Episcoporum ut Lampades nutriantur ex aliis oleis quantum fieri possit vegetalibus. (S. R. C. 9 Jul. 1864.)

SS. Eucharistia servanda est in uno tantum Altari ejusdem Ecclesiae. (S. R. C. 21 Jul. 1696.)

Non licet superimponere Reliquias, Imagines, flores Tabernaculo in quo SS. Sacramentum asservatur ita ut Tabernaculum pro basi inserviat. (S. R. C. 3 Apr. 1821.)

Tabernaculum regulariter debet esse extra deauratum intus vero ligneum aliquo panno serico decenter contectum. (S. C. Episc. 26 Oct. 1575.)

Stola pro ministranda SS. Eucharistia extra Missam debet esse coloris officio convenientis. (S. R. C. 12 Mart. 1836.)

Quotiescumque S. Communio extra Missam administratur, bursa cum corporali est adhibenda, et quidem de praecepto stricto. (S. R. C. 27 Feb. 1847.)

Rector Ecclesiae ruralis, ubi SS. Eucharistiae Sacramentum asservatur, tenetur ad residentiam et ad quotidianam Missae sive per se, sive per alium, celebrationem. (16 Mart. 1833.)

SS. Sacramentum teneri non debet in vasculis eburneis, sed in pixide aurea vel argentea intus deaurata. (S. C. Episc. 26 Jul. 1588.)

In tabernaculo SS. Sacramenti esse non debent vasa sacrorum Oleorum, vel Reliquiae, vel aliud quodcumque praeter vasa ad continendum SS. Sacramentum. S. C. Episc. 3 Maii, 1693.)

Renovatio SS. Sacramenti debet fieri qualibet hebdomada, non autem differri ad quindecim dies. (S. C. C. 5 Apr. 1577.)

256. In Expositione SS. Sacramenti in altari super candelabris viginti, vel ad minus duodecim candelae cereae accensae retineantur. (S. R. C. 15 Mart. 1698.)

Non licet concionem habere capite tecto dum SS. Sacramentum expositum est, quamvis velo serico obductum sit. (S. R. C. 23 Sept. 1837.)

Non licet tempore expositionis Ciborium vel ostensorium ita lampadibus electricis illuminare ut SS. Hostia lucida appareat.

Lux electrica vetita est non solum una cum candelis ex cera super altaribus sed etiam loco candelarum; ita etiam ante sacras imagines seu statuas super gradibus altaris positas, prohibita est.

Non licet Regularibus in eorum ecclesiis aut capellano Monialium, Venerabile Sacramentum publice adorandum exponere absque licentia Episcopi. (S. R. C. 1 Apr. 1662; 18 Dec. 1657 et 7 Jun. 1681.)

Oratio ante Benedictionem SSmi. "Deus qui nobis," concluditur "Qui vivis et regnas in saecula saeculorum." (S. R. C. 14 Jun. 1647 et 10 Sept. 1718.)

In benedicendo populum cum Sanctissimo Celebrans nihil dicere, cantores et musici nihil quoque canere interim debent. (S. R. C. 19 Feb. 1762.)

Sacerdos in benedicendo populum cum Sacra Pixide, debet illam totam cooperire extremitatibus veli humeralis. (S. R. C. 23 Feb. 1839.)

Non praescribitur ut Caeremoniarius vel Thuriferarius incenset SS. Sacra. dum populo Benedictio impertitur. (S. R. C. 11 Sept. 1847.)

Circa Sacrificium Missae.

257. Indumenta sacra et supellectiles sacerdotis et Altaris—uti amictus, albae, tobaleae, mappulae, corporalia, pallae ac purificatoria—ob reales et mysticas significationes, conficienda sunt ex lino aut cannabe, at numquam ex alia quacumque materia.

Tolerari non potest ut tempore Missae et Officiorum Crux altaris aut candelabra drappo vel tela permaneant vestita. (S. R. C. 12 Sept. 1857.)

Quoad Missas parochiales vel similes, diebus sollemnioribus, et quoad Missas quae celebrantur loco sollemnis aut cantatae occasione realis atque usitatae celebritatis, tolerari potest ut duo ministri Missae inserviant. Quoad vero Missas stricte privatas serventur decreta. (S. R. C. 12 Sept. 1857.)

Tolerari potest consuetudo qua sacra paramenta coloris aurei (gold cloth) loco coloris albi, viridis aut rubri inserviant. (S. R. C. 28 Apr. 1866.)

Sacerdos celebrans Missam in qua Chorus tenetur cantare Credo, non potest illam prosequi eo tempore quo a choro idem symbolum cantatur. (S. R. C. 17 Dec. 1695.)

In Missa quae cantatur sine diacono et subdiacono non licet thurificare Altare et Chorum. (S. R. C. 19 Aug. 1651.)

Non est permittendus usus ut praeter diaconum et subdiaconum simplices Sacerdotes adhibeant in Missa solemni presbyterium assistentem. (S. R. C. Mart. 1721.) Can. 812.

Celebraturus Missam solemnem aspergens populum aqua benedicta associari debet a diacono et subdiacono et ministris altaris et recitare Ps. Miserere. (S. R. C. 31 Jul. 1665.)

In Feria V in Coena Domini in eadem Ecclesia praeter Missam Solemnem alia Missa privata non est celebranda nisi probante Episcopo. (S. R. C. 17 Mart. 1773.)

In Missa solemni thurificari debent Imagines seu signa Sanctorum depositae inter candelabra, etiamsi inclusas non habeant Sanctorum Reliquias. (S. R. C. 21 Mart. 1744.)

Sacerdos in Missa de Requie ponere debet manum sinistram super Altari dum facit signum crucis ad Introitum. (S. R. C. 7 Sept. 1816.)

Sacerdos celebrans, dum ad Evangelium cruce signat librum, ponere debet super eo sinistram. (S. R. C. 7 Sept. 1816.)

Sacerdos pronuntians in Canone Missae nomen alicujus Sancti, de quo factum est officium vel saltem commemoratio, facere debet inclinationem. (S. R. C. 7 Sept. 1816.)

In Missa solemni sacerdos non debet dicere Ite missa est, quod dicitur tantum a diacono; sed debet dicere Benedicamus Domino et Requiescant in pace, quamvis eadem cantentur a Diacono. (S. R. C. 7 Sept. 1816.)

Non licet cantare, inter Missarum solemnia, cantica vulgari sermone. (S. R. C. 12 Mart. 1839.)

In iis Ecclesiis, in quibus ob defectum sacerdotum in hebdomada majori Celebrans decantare cogitur partem passionis, illam decantare debet in cornu Evangelii. (S. R. C. 12 Mart. 1836.)

Post Missam de Requie in die obitus, nequit sacerdos a celebrante diversus accedere ad absolutionem peragendam,

quoniam hoc jure gaudet Episcopus tantum. (12 Aug. 1854.)

Qui celebrat in altari privilegiato pro singulis diebus debet uti paramentis nigris diebus non impeditis. (S. R. C. 11 Apr. 1840.)

Calix et Patena non amittunt consecrationem per novam deaurationem. Can. 1305.

258. Officium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis consecratae, sub ritu duplici I classis cum octava per totam dioecesim, a clero seculari recitandum est. Regulares tenentur illud recitare sub ritu dup. I. classis sine octava.

Festum, seu Officium, Titulare Ecclesiae Cathedralis celebrandum est in tota Dioecesi sub ritu duplici I classis cum octava a Clero dioecesano; a Clero Regulari autem sub eodem ritu absque octava. Eadem Regula quoad Festum Patroni Dioeceseos servanda est.

Circa Vesperas.

259. Officians ad Vesperas non utitur stola. (S. R. C. 7 Sept. 1816 et 11 Sept. 1847.)

Officians in Vesperis solemnibus indui debet Pluviali a principio Vesperarum et sic indutus permanere usque ad finem. (S. R. C. 20 Juli 1693.)

Circa Assistentiam Erga Moribundos.

260. 1. Benedictio Apostolica cum indulgentia plenaria juxta Constitutionem Benedicti XIV. Pia Mater . (5 Apr. 1774,) impertiri potest pueris qui ob defectum aetatis primam Communionem nondum susceperunt. (S. R. C. 15 Dec. 1826.)

2. Invocatio saltem mentalis SS. Nominis Jesu est conditio sine qua non ad lucrandam indulgentiam plenariam vi Benedictionis Apostolicae. (S. R. S. 22 Sept. 1892.)

3. Etiam in casu necessitatis non licet nec valide administrari potest Extrema Unctio cum oleo a Sacerdote benedicto. (S. C. S. O. 13 Jan. 1611.)

4. Excepto casu magnae distantiae ab ecclesia non licet sacerdoti curam animarum exercenti S. Oleum Infirmorum in domo sua retinere; necessitate vero exigente etiam tunc servetur Rubrica quoad honestatem, decentem tutamque custodiam. (S. R. C. 16 Dec. 1826.)

Circa Matrimonium.

261. Quando plures simul copulantur, accepto primum singulorum consensu, et rite celebratis singulis matrimoniis, dictaque pro singulis a parocho forma: Ego vos, etc., nihil obstat, quominus benedictiones annulorum, et reliquae fiant in communi per verba generalia. (S. S. Inq. 1 Sept. 1841.)

Parochus assistens matrimonio mixto licito, non modo benedicere solemniter nequit, sed etiam (sine stola et cotta) abstineat a benedictione annuli, et a dicenda forma: Ego vos conjungo, etc. (S. C. Inq. 28 Aug. 1839.)

Tempore vetito prohibetur tantum benedictio quae est in Missali non vero ea quae in Rituali prostat. (S. C. de Prop. Fide, 5 July 1841.)

Benedictio nuptialis non potest fieri nisi in ecclesia. (S. C. C. 17 Apr. 1649.)

"Benedictionem nuptialem, quam exhibet missale Romanum in Missa pro sponso et sponsa, semper impertiendam esse matrimoniis Catholicorum, infra tamen Missae celebrationem, juxta rubricas et extra tempus feriatum omnibus illis conjugibus, qui eam in contrahendo matrimonio, quacumque ex causa non obtinuerint;—etiamsi petant postquam diu jam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit. Can. 1101.

Denuntiationes matrimoniales possunt fieri tempore clauso (18 Dec. 1589), et ex justa causa, etiam diebus festivis dum cantantur Vesperae, aut inter alia officia. Can. 1024.

De Postulatione Dispensationum.

Pro Impedimentis Publicis.

262. 1. Parochi, in sua propria paroecia, a Nobis delegantur ut ex officio praeviam inquisitionem instituant circa impedimentum juxta ordinem infrascriptam.

2. Facta quae per inquisitionem manifestantur, Nobis referantur in scripta postulatione pro dispensatione, pro qua ipse solus parochus regulariter supplicabit.

3. Attamen, quando parochus abesse a propria residentia contigerit, vices ipsius gerat vicarius.

Ordo Inquisitionis Faciendae Circa Impedimenta Publica.

263. Parochus, vel sacerdos delegatus, nisi aliunde de eis certo constat utramque partem separatim et duos saltem

testes interroget circa sequentia Nobis in postulatione referenda.

1. Nomen, cognomen et aetatem oratorum.

2. Naturam impedimenti et ejus originem, i. e., speciem infimam, gradum et lineam consanguinitatis et affinitatis, etc.

